Schott[illegible]

[illegible]

DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS

DE

DAMNATORUM RESTITUTIONE IN INTEGRUM

(*RÉHABILITATION*).

DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS

DE

DAMNATORUM RESTITUTIONE IN INTEGRUM

(*RÉHABILITATION*)

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

GERARDI WTTEWAALL,

MATH. MAG. PHILOS. NAT. ET JUR. UTR. DOCT.
OECON. RUR. PROF. ORDIN.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS JURIDICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN JURE ROMANO ET HODIERNO
HONORIBUS ET PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLENNI EXAMINI SUBMITTIT

HENRICUS VALERIUS VAN WESELE SCHOLTEN,

DELPHENSIS.

AD DIEM XXVII APRILIS MDCCCXXVII. HORÂ XII—I.

IN AUDITORIO MAJORI.

LUGDUNI BATAVORUM,
APUD HAAK ET SOCIOS
ET
H. W. HAZENBERG, JUNIOREM.
MDCCCXXVII.

Regia (crede mihi) res est, succurrere lapsis:

OVID. *Epist. ex Ponto L. II. Ep. IX.*

PATRI OPTIMO

BENJAMINI PETRO
VAN WESELE SCHOLTEN,

ORDINIS LEONIS BELGICI EQUITI: SUPREMAE CURIAE, QUAE HAGAE COMITUM EST, SENATORI: ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE CURATORI: SOCIETATI LITERARUM BELGICARUM, QUAE LUGDUNI-BATAVORUM EST, ADSCRIPTO: AB INSTITUTO REGIO AD EPISTOLARUM COMMERCIUM VOCATO.

ET

VIRO NOBILISSIMO AMPLISSIMO

CORNELIO ANTONIO FANNIO SCHOLTEN,

ORDINIS LEONIS BELGICI DECURIONI TURMALI: REGNI BELGICI CONSILIARIO: SOCIETATI LITERARUM BELGICARUM, QUAE LUGDUNI BATAVORUM EST, ADSCRIPTO:

PATRUO PLURIMUM COLENDO.

Hoc pietatis monumentum
D. D. D.
AUCTOR.

DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS

DE

DAMNATORUM RESTITUTIONE IN INTEGRUM

(*RÉHABILITATION*).

EXORDIUM.

Posteaquam per aliquot jam annos in hac celeberrima Musarum sede, studiis academicis, sed praecipue Jurisprudentiae, operam dederam, ac per omne fere illud tempus Clarissimorum Doctorum lectiones audiveram, cogitandum mihi fuit de specimine quodam qualiumcumque progressuum meorum conficiendo, atque in lucem edendo. Sed non diu mihi quaerendum fuit. Statim enim atque Promotorem Clarissimum *H. W. Tydemannum*, cujus in studiosam juventutem benevolentiam dudum fueram expertus, adiissem, ut materiam mihi explicandam suppeditaret, lubens ille

qui-

quidem huic satisfecit desiderio atque mihi proposuit disputationis argumentum, quod dici vix potest, quantopere mihi continuo placuerit.

Etenim, cum in aliis fere disceptationibus de jure civili aut criminali res semper litigiosa tractanda est, ita ut alterutra tantummodo pars superior maneat: in illa vero, quae ad damnatorum in integrum restitutionem refertur, nemo est, qui vincatur, nemo qui aliquid damni pati debeat; imo vero in illâ omnia ad benefaciendum mirifice conspirant. Damnatus enim jam non formidine poenae corporalis vel ipsius *turpitudinis*, *quae* ut ait *Cicero* (1), *acerbissima est*, sed virtutis amore ad se ipse redit et poenitentiam probare studet bene merendo de hominum societate; atque in hoc laudabili proposito a civibus suis, ab integerrimis magistratibus ac senatoribus adjuvatur, Summoque Imperanti ita commendatur, ut expiato crimine jam bonorum virorum numero adscribi possit; ut adeo haec benevolentia clementiave illius, penes quem

(1) Off. III. c. 8.

quem summa potestas est, tanto majorem habeat vim, quo clarius constet, ipsam illam misericordiam ex certo judicio ortam omnibus profecto gratam fore.

Et nos quidem omnino hoc legis beneficium anteponimus alii fere rationi, quâ lapsis succurri potest, nimirum ex sola beneficentiâ Summi Imperantis. Nam, etsi valde laetamur, optimum prudentissimumque Principem subvenire atque opitulari posse omnibus iis, quorum poena, ratione personae, vel temporis et loci, vel aetatis, vel quâcumque tandem de causâ, mitiganda, commutanda imo plane tollenda censeri queat, attamen iis, qui graviora commiserint crimina magisve peccarint, si ad bonam mentem redierint, aliâ etiam debet superesse via vel ratio, quâ poenitentiae suae ipsi fructus percipere possint; cum nimirum ipsa lex alliciat ad virtutis studium, adeoque omnem dubitationem tollat de bona Summi Imperantis voluntate. Hujus enim judicium semper accedere debet, ut restitutus possit intelligere quantum regis benevolentiae debeat. Neque nos vix quidquam gratius Regi contingere posse credimus, quam si cognoverit, se ejus-

ejusmodi resipiscentem civitati tutò reddere neque minus legi, quam animo suo satisfacere potuisse; cujus quoque rei complura jam exempla exstare summâ certe cum animi voluptate accepimus.

Ceterum illa restitutio ex lege ac clementia Principis magnam etiam vim habere potest, ad confirmandam stabiliendamque illam praestantium virorum societatem, quae in patriâ nostrâ exstat, quaeque ad emendandos damnatorum mores pertinet et nostrâ linguâ *Maatschappij tot de Zedelijke Verbetering der Gevangenen* vocatur. Quid enim ad consolandos atque erigendos illos, qui in ergastulo vel carcere inclusi sunt, magis valere queat, quam si magnae auctoritatis viri, nomine legis et regis, ut ita dicam, viam ostendere possint, quâ ad meliorem statum pervenire aliquando licuerit? Quare nos quoque vota facimus pro ejusmodi conatibus, ut magis magisque prosperos successus habeant.

Hae jam praecipuae sunt rationes, quare potissimum mihi placuerit, ut, quid humeri ferant quidve ferre recusent, in hoc juris remedio elaborando tentarem, praesertim etiam

cum,

cum, quod ego quidem sciam, nemo de industria totum hunc locum pertractaverit.

Reputanti autem mihi, quâ ratione materiam, quam explicare aggredior, disponerem, nihil melius visum est, quam ut ejus sex deinceps capita facerem; ita ut capite primo quaeratur, *quaenam sit notio restitutionis in integrum*, de quâ nobis disputandum erit, *adjectâ brevi expositione Veteris Juris Gallici*, quae hoc quidem loco plane omitti non posse videbatur; deinde, *quinam illi sint, qui restitutione in integrum uti possint; tum, quae ex lege a petitore requirantur, ut restitutionem obtinere queat;* porro, *quae sit illius forma ac modus;* et tandem *quinam sint restitutionis effectus.* Quibus rebus peractis, sexto denique capite, breviter ea addere conabimur, *quae ex aliorum sive Veterum sive Recentiorum populorum legibus atque institutis invenire potui*, quatenus saltem haec ad nostrum argumentum pertinere videntur.

Antequam vero haec omnia latius exponere incipiam, liceat mihi grati animi intimo desiderio satisfacere et publice hoc loco testari, quan-

quantum praeter Patrem, omnium studiorum meorum ducem atque auspicem, et optimum Promotorem, cujus honorificam supra mentionem feci, aliis etiam, ob plurima sane in me collata beneficia, debeam, cum facultatis praecipue Juridicae Professoribus (quorum jam eheu! *Kemperus* diem obiit supremum), tum aliis etiam praestantibus atque amplissimis viris, qui ope, consiliis et libris suppeditandis mihi saepe adesse voluerint, et quorum nomina Hagam comitum, Bruxellas, Arnhemiam atque Amstelaedamum ornant. Et horum quidem omnium memoriam summâ certe cum reverentiâ atque observantiâ conservandam sentio. Sed et in primis gratias agere debeo Amplissimo Curiae Haganae Procuratori Generali, qui mecum benevole communicare voluit ea, sine quibus jus novissimum, quo adhuc utimur, explicare non potuissem. Quamobrem ego Deum O. M. precari non desinam, ut hos egregios viros omnes, atque carissimos etiam Commilitones, quorum sodalitio mihi tamdiu in Academia nostra frui licuit, Literis, Patriae, sibi ipsis suisque omnibus quam diutissime felices atque incolumes servare velit.

CAPUT

CAPUT PRIMUM.

§. 1.

Notio restitutionis in integrum.

Finis legum poenalium, quum non tantum in eo consistat, ut homines a delinquendo absterreantur, verum etiam ut, si quid contra leges criminales fecerint, vi poenarum ad se ipsos redeant, atque adeo poenis ipsis emendentur; proinde Legislatores Gallici in constituendo Codice de Modo Procedendi in causis Criminalibus hunc etiam finem, quoad ejus fieri possit, attingere voluisse videntur. Non autem infelices illos homines, ad poenas corporales aut infamantes damnatos, sibi ipsis atque omnium contemtioni perpetuo reliquerunt, verum multo magis illis aliquando succurrere voluerunt;

runt; in quo aureum illud praeceptum Imperatorum Constantini et Licinii videntur esse secuti, quod in *lege* 8. *Cod. de Judiciis* his verbis traditum est: *Placuit in omnibus rebus praecipuam esse justitiae aequitatisque, quam stricti juris rationem.* Atque illud imprimis manifestum est ex iis, quae de damnatorum restitutione in integrum ab illis in lege Gallicâ constituta sunt. Quamvis enim maleficia plerumque severe punienda putarent, non tamen eos, quos revera factorum a se commissorum poenitebat, semper infamiâ, ex condemnatione profluente, gravatos voluerunt; verum multo magis, ut ab illa macula liberarentur, curaverunt; si nempe obedientiâ in poenis placide subeundis, criminis poenitentiâ atque caste integreque in posterum vivendo non insanabilem praebuerint animum. Quâ aliâ, quaeso, ratione magis ad virtutis exercitium allici potuissent? Numquam omnium civium fidem atque existimationem recuperare possent, neque integerrimi civis jura consequi, neque denique ipsi societati in posterum ita variis modis prodesse, nisi vi legis restitutionem petere potuissent, aut si illam non ex lege Summus Impe-

rans

rans potuisset confirmare. Hoc autem legislatorum laudabile propositum fuisse ex eo confirmari posse videtur, quod illum, qui ob crimen condemnatus, iterum postea crimen commiserit, hoc legis beneficio indignum censuerint. Prudenter enim illi maleficum, qui semel peccavit, emendari adhuc posse, at vero in peccato perseverantem omnino insanabilem existimaverunt.

Ceterum, exstat praeterea alia restitutio in integrum, de qua in Codice Juris Mercatorii Lib. III. tit. 25. separatim agitur; sed totam illam quaestionem de industria tractare, instituti nostri ratio vetat. Quae autem ad rem criminalem quodammodo referri posse videntur, de iis quoque suo loco in posterum nonnulla monebimus.

Ex his igitur omnibus sequitur, hoc legis beneficium, de quo nobis disputandum erit, minime confundendum esse cum aliis juris remediis, quorum ope ejusmodi condemnatis, quorum innocentia dein apparuit, legitimâ ratione succurri queat; quicumque enim extra omnem culpam est, ille profecto nullâ alterius restitutione in integrum, nullove beneficio opus habet.

§. 2.

Explicatio Etymologica.

Habemus itaque notionem verbi, quod Galli *rehabilitation* dicunt. Potuimus fortasse romanâ linguâ illud *rehabilitationem* vocare, atque eo verbo tamquam technico uti, sed maluimus veteres Jureconsultos auctores sequi, qui in Pandectis *de restitutione in integrum*, hoc fere sensu, egerunt. Idque etiam nobis non plane incongruum visum est. Breviter igitur videamus, quam sententiam verbum *restitutio* hoc loco contineat. Venit illa a verbo activo *restituo*, id est, rursus in priorem statum pono vel statuo. *Virgilius* (1) enim dicit *ut, quo quaeque modo steterit .... restituant.*

Restitutio igitur indicat id, per quod aliquid in pristinum statum ponitur. Quodsi illud jam hominum conditioni applicemus, (et quare non liceret, nullam video rationem) per restitutionem in integrum nihil aliud intelli-

(1) *Georg.* II. 272. Vid. CICERO, *pro Caecina*, cap. 29 et 30. FACCIOLATI, in voce *restituo*.

figere possumus, nisi id, quo quis in priorem conditionis atque existimationis statum ponitur, quod certe Gallico legislatori propositum fuit.

Neque tamen hoc ita accipi velim, quasi Romanos de ipsa damnatorum restitutione in integrum idem in omnibus voluisse, ac Gallicos Legislatores, censeremus, cum praesertim de juris utriusque differentia nobis ipsis infra peculiariter agendum putemus.

§. 3.

Definitio Juridica.

Non autem generalis notio restitutionis in integrum sufficit, si rite illam ex juris principiis atque rationibus explicare, aut de quaestionibus, ex illa profluentibus, disputare velimus; sed in primis et ante omnia illius definitio juridica requiritur, ne forte alioquin in disputatione a proposita quaestione aberremus, quod in primis evitare conabimur. Definitio igitur juridica *damnatorum restitutionis in integrum*, quemadmodum apud nos adhuc locum habet, *de la réhabilitation des*

condamnés, illa esse videtur, quod sit, *actus legitimus*, *quo illi*, *qui ad poenam corporalem*, *seu quae infamiam irrogat*, *condemnatus est*, *eamque perpessus*, *dein post lapsum quinque annorum*, *ob morum emendationem*, *certâ formâ*, *a Summo Imperante per literas pristina existimatio*, *atque pristina jura*, *quibus ante condemnationem frui liceret*, *conceduntur*.

Dicitur *actus legitimus*, quum ex lege (2) peti possit, certâ formâ constitutâ, quam plane sequi necesse habent condemnati, qui restitui cupiunt; restitutionem non extendi posse *ultra damnatos ad poenam corporalem*, *seu quae infamiam irrogat*, patet ex *art.* 619 *Cod. Cit.* Articulus 634 expresse prohibet, *ne is*, *qui ob crimen condemnatus*, *postea maleficium commiserit* (*récidive*) umquam ex lege restituatur. Condemnatum poenam *usque ad finem* pati debere, voluit *idem art.* 619; sic et articulo sequenti mentio fit *lapsus quinque annorum*; imo *certam formam observandam esse*, multis praescribitur articulis (3); neque

(2) Vid. art. 619. *Cod. de modo proc. in caus. Crim.*
(3) Vid. art. 619. usque ad art. 632.

que etiam dubitandum est, quin condemnatus tantum *a Summo Imperante restitui possit* (4); et quin *amissam existimationem recuperet*, et *ad pristina jura ac privilegia, quibus ante condemnationem frui liceret, aditus ipsi reddatur.* Lex enim ita loquitur *articulo* 633.

Et de his quidem omnibus deinceps videamus: verum antequam ad hanc disputationem accedamus, nonnulla, ut supra diximus, jam a nobis monenda sunt de Antiquo Jure Gallico, ut quid recentioribus legislatoribus de hac totâ quaestione constituere visum fuerit, tanto melius intelligatur.

§. 4.

De damnatorum restitutione in integrum ex Veteri Jure Gallico.

Quamvis fortasse antiquitus in regno Galliae multa in Jure Criminali laudabiliter provisa atque exposita fuerint, vix ullum tamen, ante Ludovici XIV tempora, nostrae materiae vesti-

gium

(4) Vid. art. 631.

gium invenire potui (5). Nemo igitur prius, quod sciam, ita lapsis succurrendum censuit ac rex ille augustissimus, de quo, hoc loco, plura dicere nihil attinet. Is enim in illo Praescripto, (*ordonnance*), quod die 26 mensis Augusti anni 1670. lucem vidit, et quidem art. 5, 6, 7. tit. XVI, sequentia sanxit; quae tamen ipsâ, quâ conscripta sunt, linguâ addam, ne quid perspicuitatis legis verbis adimatur, quod facillime, si tantummodo a me converterentur, locum obtinere posset. Et in primis illud faciendum videtur, quum mihi non nisi maximo labore tandem aliquando ipsa legis verba inspicere licuerit.

Legimus igitur articulo 5.

Les Lettres d'abolition, celles pour ester à droit après les cinq années de la contumace, de rappel de Ban ou de Galères, commutation de peine, réhabilitation du condamné en

ses

(5) In opere tamen egregio, quod inscribitur *Code Criminel ou Commentaire sur l'Ordonnance de 1670*, par Mr. FRANÇOIS SERPILLON, *Lieutenant Général Criminel et Conseiller honoraire aux Bailliage, Chancellerie et Siege Présidial d'Autun. Lyon* 1767. 4 part. in — 4. ad tit. XVI. art. 5. citatur Supremae Curiae judicatum, sive arrestum Parlementi Divionensis d. 8. Jul. 1561. in quo *damnatorum restitutionis in integram* mentio fit.

ses biens et bonne renommée, et de revision de Procès, ne pourront être scellées qu'en notre grande Chancellerie.

Articulo 6.

L'arrest ou le jugement de condamnation sera attaché sous le contre-scel des Lettres de rappel de Ban ou des Galères, commutation de peine, ou de réhabilitation; à faute de quoi les impétrans ne pourront s'en aider; et défendons aux juges d'y avoir égard.

Articulo 7.

Enjoignons à nos Juges, même à nos Cours, d'enteriner les Lettres de rappel de Ban ou de Galères, commutation de peine et de réhabilitation, qui leur seront adressées; sans examiner si elles sont conformes aux charges et informations; sauf à Nous représenter par nos Cours ce qu'elles jugeront à propos.

Vidimus totam hanc doctrinam tribus potissimum contineri articulis, quos explicare nostrum erit officium, cui, quantum ex aliis de hoc praescripto auctoribus haurire et pro meis juvenilibus viribus exponere potui, lubenter satisfacere conabor.

Concedebatur hoc Praescripti beneficium indistincte omnibus, qui poenâ infamiae afflicti erant, atque in hoc conveniunt omnes de hac materia scriptores (6); restituitur enim in priorem existimationem, quod inane foret, si non antea ex lege infamis esset declaratus. Poenae autem eo tempore infamantes, erant omnes poenae corporales, stigma ferro candente impressum (quod a figura stigmatis Gallice dicebatur *fleur-de-lys*), solennis professio criminis cum precatione veniae (*amende-honorable* (7)) mulctave Regi solvenda (*amende envers*

(6) Vid. MERLIN, *Repert. Univ. et raison. de Jurispr.* Paris 1812. in voce *Réhabilitation.* ROUSSEAUD DE LA COMBE, *Traité des matieres Criminelles suivant l'Ordonnance du mois d'Août* 1670. Paris 1768, pag. 282. Cf. *Explication de l'Ordon. de Louis XIV sur les matières Crimin.* etc. *par feu* NOBLE FRANÇOIS BOUTARIC, *professeur du droit François à l'Université de Toulouse*, à Toulouse 1743. in —4. t. II. p. 195. Cf. porro *les Motifs* du tit. VII. ch. 4. liv. II. *Cod. d'Inst. Crim.* par M. REAL, pag. m. 92. Ed. Paris 1810. Add. Ampl. SERPILLON *d. l.* p. 769.

(7) Vid. art. 13. *h. t.* et art. 6. t. XXVI. Et BOUTARIC *Op. laud.* p. 282 in verbis: *l'Amende honorable dont parle l'Ordonnance, dont elle entend ici parler, est celle qui se fait au Roi et à la Justice, le condamné étant tête nuë et en chemise, la torche à la main, et conduit par le Bourreau.* Cf. etiam SERPILLON *Op. l.* p. 1130 et seq. et ROUSSEAUD DE LA COMBE, p. 337.

vers le roi (8)), detentio alicujus in loco, ubi difficillimum opus praestare debebant ad certum tempus (*les Galères à temps* (9)), interdictio atque privatio in perpetuum muneris publici (*bannissement d'une charge publique* (10)).

Quarum poenarum effectus in eo consistebant, quod in judicio testis esse non poterat infamiâ notatus, neque etiam ullum implere munus. Ab his igitur liberabantur, si rex illos in pristinam existimationem restituere, iisque omnia bona reddi vellet. Dicit autem cons. *Rousseaud de la Combe* (11) ab illis infamiâ notatis requiri, ut prius poenis obtemperaverint, mulctas solverint, atque id quod interest (*interêts civils*) praestiterint: quod non negamus, licet disertis verbis in ipso Praescripto non legatur.

Quod ad ea, quae ratione materiae et formae re-

(8) Cf. SERPILLON. *d. l.* p. 825. 881 et 1026.

(9) Vid. MENAGIUM, *Origines de langue Françoise*, Paris 1694. voce *Galères.* cf. BOUTARIC *d. l.* pag. 332. ubi ait: *condamné à être mené et conduit aux Galères du roi pour en icelles être detenu et servir le dit roi comme Forçat.*

(10) Cf. BOUTARIC *l. l. ad* art. 5. in adnot.

(11) *Ad h. l.* pag. 282 et seq.

requiruntur, pauca tantum in medium proferenda putamus.

Erant autem tria legis requisita: et primum quidem art. 5. cautum est, ut restitutionis literae obsignentur in magno Cancellarii Praetorio (*en grande Chancellerie*); propterea quod hae literae ex clementia regis, non ratione justitiae, concedebantur; sequenti vero art. 6. docetur, judicum tam superiorum quam inferiorum sententiam alligari debere ad illum locum, ubi subscriptae sunt restitutionis literae, quo neglecto impetrantes nullo modo iis uti possent, et simul judicibus praescribitur nullam earum rationem habere. Porro articulus 7. judices, quin etiam Curiae Senatores, jubet integrare sive in acta referre (*enteriner* (12)) restitutionis literas, quae illis missae erant, quamvis iisdem non liceret cognoscere causam, id est, post restitutionem ab Rege concessam, inquirere, *an preces veritate nitantur* (13), quod uni-

(12) Vid. MENAGIUM, *Op. l.* voce *enteriner.*

(13) Vid. Cl. BOUTARIC, *Op. l. ad* art. 1. *ejusdem tit.* p. 189. ubi ita ex Jure Rom. et Can. interpretatur legis verba: *si elles sont conformes aux charges et informations.* Cf. p. 196. Add. SERRILLON, ad art. 7. tit. XVI.

unice Regis arbitrio erat relinquendum (14); at vero concedebatur judicibus, cum regis Cancellario — et Curiae senatoribus, cum ipso Rege — communicare, quodcumque tandem ipsis in quacumque causa proponendum vel monendum videretur: v. gr. quando petitor jam acceperit literas abolitionis, remissionis vel alias ob prius crimen commissum, easque celaverit, vel quando falsum judicati sive arresti apographum protulerit, vel denique quodam falso usus sit instrumento. Cum illae igitur, aut similes forte, adsint rationes, differre possunt judices literarum integrationem, donec de iis monuerint, ut omnia ulterius explorari possint.

Quod autem ad formam procedendi hac in re attinet, breviter teneamus: literas, ut dictum est, subsignari debere in magno Cancellarii Praetorio, quoniam solâ Regis voluntate, non aliquâ justitiae ratione, concedebantur; non requiri, ut petitor in custodia detineatur, nec ut in auditorio praesens sit, cum restitutionis literae integrantur; sed illas integrari ex petitione oblatâ judicibus, quibus missus fuerit li-

(14) Cf. Cl. BOUTARIC *l. l. ad h. art.* p. 196.

libellus supplex, adjectâ conclusione ministerii publici; petitionem vero a Nobilibus offerendam esse Parlementis, atque a Plebejis, magistratibus iis, qui Baillivi et Senechalli vocantur (*Baillifs et Senechaux*) aut Praesidibus; etsi hac in re d. 27 Febr. 1703 mutatio quaedam locum habuit, adeoque semper mentionem diserte faciendam esse, utrum petitor Plebejus an Nobilis sit, sine quâ nulla literarum ratio haberi posset; ac denique omnes literas intra trium mensium spatium offerendas esse. Quo omisso, nullam omnino vim habere possent (15). Sed haec et talia peculiariter exponere, instituti ratio vix tulerit.

De restitutionis effectibus, inter omnes constat, concessâ restitutione, cessare debere omnes illas facultatis privationes, quae ipsi ullo modo obesse possent in excercendis juribus civilibus, vel in aliquo munere gerendo.

Haec jam sunt, quae de hoc in medium proferre potui argumento, quae, ut credimus, suf-

(15) Cf. artt. 11, 12, 13, 14, 15, 16. et imprimis SERPILLON *ad h. l.* atque etiam ad art. 2, ubi Edictum 27 Febr. 1703. legitur. Vid. ROUSSEAUD DE LA COMBE *d. l.* p. 283. et BOUTARIC *l. l.* p. 197, 198 et 350.

sufficiant ad demonstrandum, quantum nostra hujus materiae doctrina aucta, emendata atque moribus adaptata fuerit, quod ostendere unicum hac in re nostrum propositum fuit (16).

Et hoc quidem jure Galli videntur usi usque ad illa tempora, quae multi nostratium adhuc viderunt, eversi regni veterumque institutorum. Verum non omnes adeo novis rebus studebant, ut non multa quoque veterum instituta vel retinenda, vel ad novum adaptanda ordinem putarent. Ita factum est, ut cum anno 1791 Concilium sive Senatus exstaret, qui in constituendâ imperii formâ versaretur, et Gallice *Assemblée Constituante*, postea *Nationale*, vocaretur, senatores illi in legibus Criminalibus condendis plurimum operae ponerent. Hinc originem etiam duxit Codex ille Criminalis die 25, mensis Sept. ejusdem anni 1791 et 6 Oct. promulgatus, qui viguit, donec illum anno 1810 ex-

(16) Praeter eos, quos supra memoravimus auctores, videatur *de Crimineele Ordonnantien van Koning Philips van Spanje*, door BAVIUS VOORDA, te Leyden 1792, in — 4. in cujus operis Appendice, Cl. auctor etiam ad partes vocat, *Traité de la Justice Criminelle de France*, par M. JOUSSE, Paris 1771. 4 vol. in — 4.

exciperet Codex, quo hodieque nos, non-nullis tamen mutatis, adhuc utimur, inter quas mutationes memorare sufficiat, quod haec nostra materia non amplius in Codice Criminali sive Poenali, verum in illo, qui *de modo Procedendi in causis Criminalibus* agit, et Napoleontis imperio anno 1808 vim legis obtinuit, jam inveniatur.

Et primum quidem mihi in animo fuit supra dictam legem anni 1791, cujus complures articulos ad damnatorum restitutionem in integrum pertinere novimus, hoc loco exponere, et quoad ejus a me quidem fieri potuerit, accurate pertractare; sed, re dein diligentius perpensâ, mutavi consilium, quoniam perspicuitati facile obesse potuisset. Maluimus itaque hoc argumentum eo modo trattare, ut suo deinceps loco, semper ad illa, quae de jure novo atque adhuc vigente dissererem, juris differentiam adjungerem, ex hac antiquiori lege Gallicâ petitam, quotiescumque certe illud materia, a nobis tractanda, requirere videretur.

CAPUT

CAPUT SECUNDUM.

QUINAM RESTITUTIONE UTI POSSUNT VEL MINUS.

§. 1.

Quibus liceat restitutionem petere.

Cognitâ restitutionis notione jam videndum erit, quinam illâ uti possunt, vel minus. Et primum quidem tenendum est, restitutione in integrum aliquem non a poenâ ipsâ aut a maximâ ipsius poenae parte, quod abolitionis vel gratiae, a summo Imperante concessae, proprium est, verum a poenarum sequelâ, nimirum ab infamiâ, quae ex damnatione ob crimen commissum profluit, liberari. Sed quum ex poenis *correctoriis*, seu quae propter *de-*

 lic-

lictum (1) commissum applicantur (*les peines correctionelles*), damnum illud non exoriatur, sequitur, illos restitutione in integrum indigere, qui ob crimen commissum sunt condemnati, non vero eos, qui propter delictum commissum poenam tantum correctoriam passi sunt; quia poena illa correctoria illis civilium atque politicorum jurium usum non ademit; nisi cum lex in quibusdam causis aliter diserte statuerit.

Observat *Carnotius* ad art. 171, illum, qui ex art. 169 ad operas publicas ad certum tempus damnatus est, posse restitui, atque adeo liberari a facultatis privationibus, quas ex damnatione pati debuit; quum is contra, qui ex art. 171. correctionaliter tantum condemnatus est, eum numquam restitutionis beneficium implorare possit, semper a munere publico gerendo destitutus maneat, dicitque, Ampl. TREIL-

(1) Generatim tenendum est, nos in descriptione factorum, lege poenali prohibitorum, secutos esse virum Cl. SMALLENBURGIUM auctorem, qui illa, ratione poenarum, dividit in CRIMINA STRICTE SIC DICTA seu *quae puniuntur poenâ corporali, aut quae infamiam irrogat*, et in DELICTA STRICTE SIC DICTA, *seu quae coercentur poenâ correctoriâ*.

STREILHARDUM propterea ultimam articuli 171 partem omittendam censuisse. Nunc, dicat forte quis, poenam illam ex art. 171, quamvis correctoriam, infamiam tamen irrogare; adeoque condemnatum ex lege infamem esse: atqui infamem non nisi restitutione priorem existimationem recuperare posse; igitur exinde sequi, illum aeque ac criminaliter condemnatum, ex lege infamem declaratum, restitutione indigere. Verum huic doctrinae obstat, quod haec muneris privatio non sit infamia, tamquam poenae sequela, sed ipsa poena, quae fortasse Summi Imperantis clementiâ per abolitionem vel gratiam tolli potest; quo facto, cessante poenâ, nullum omnino infamiae vestigium superest. Accedit quod, ut postea videbimus, nulli restitutioni locus esse possit, nisi quinque anni, postquam poenam quis passus sit, fuerint impleti, quod in poenis perpetuis accidere plane nequit. Ad nostram igitur sententiam confirmandam spectant verba legis in art. 619. Cod. omnem condemnatum ad poenam corporalem, seu quae infamiam irrogat, si poenam passus est, restitui posse.

In altera etiam hujus articuli parte dicitur,

 qui-

quinam intelligantur sub verba *tous*
nés, memoranturque tantum illi, qu
ras ad certum tempus damnati sunt
damnés aux travaux forcés à temp
ergastulum dati (*les condamnés à*
sion), nec non illi, qui in contemt
cum expositi sunt (*les condamnés*
du carcan), ut adeo reliqui exclud
· Animadvertendum est hoc loco, p
qua tales abrogatas esse *Decreto* (
Nostri, diei 11. *mensis Decemb*
1813: ex quo *poena ad operas p*
certum tempus mutata est in illam,
tinetur *art.* 11. *ejusdem Decreti*, ub
" De straf van *Dwangarbeid voor een*
den tijd (*travaux forcés à temps*), w
schaft, en in de plaats daarvan ing
straf van *Confinement in een Rasp*
of *Werkhuis*, voor een' tijd, door d
te bepalen, niet te boven gaande d
van vijftien achtereenvolgende jaren
minderd de straf, het zij van *openba*
ling, te *Pronkstelling* of *Eerloosv*

(2) Vid. *Staatsblad der* VER. NED. N°. 10. *ej*

quinam intelligantur sub verba *tous condamnés*, memoranturque tantum illi, qui ad operas ad certum tempus damnati sunt (*les condamnés aux travaux forcés à temps*), aut in ergastulum dati (*les condamnés à la réclusion*), nec non illi, qui in contemtum publicum expositi sunt (*les condamnés à la peine du carcan*), ut adeo reliqui excludantur.

Animadvertendum est hoc loco, poenas illas qua tales abrogatas esse *Decreto* (2) *Regis Nostri, diei* 11. *mensis Decembris, anni* 1813: ex quo *poena ad operas publicas ad certum tempus* mutata est in illam, quae continetur *art.* 11. *ejusdem Decreti*, ubi legimus: " De straf van *Dwangarbeid voor eenen bepaalden tijd* (*travaux forcés à temps*), wordt afgeschaft, en in de plaats daarvan ingevoerd de straf van *Confinement in een Rasp- Tucht-* of *Werkhuis*, voor een' tijd, door den Regter te bepalen, niet te boven gaande den termijn van vijftien achtereenvolgende jaren: onverminderd de straf, het zij van *openbare Geeseling*, te *Pronkstelling* of *Eerloosverklaring*; (wel-

(2) Vid. *Staatsblad der* VER. NED. N°. 10. *ej. a.*

(welke conform het gestatueerde bij art. 9.), de *Kaakstraf*, (*carcan*) zullen vervangen." Sic etiam poena eorum, qui in contemtum publicum exponebantur (*le carcan*); quemadmodum ante rerum conversionem locum habebat, plane mutata est art. 9. *Ejusdem Decreti*: legitur enim: "De straf van *de openbare tentoonstelling van de Kaak* (*carcan*) zoo als die volgens het *Code Pénal* word uitgevoerd, wordt afgeschaft. De straf zal, in alle de gevallen, waarin dezelve bij het *Code Pénal* voorkomt, worden vervangen het zij door de straf van *openbare Geeseling*, het zij door eene *te Pronkstelling op het Schavot*, voor zoodanigen tijd en op zoodanige wijze, als bij het vonnis zal worden bepaald, het zij door eene *Eerloosverklaring*."

"In de keus van welke straffen de Regters zullen acht geven op den aard der misdaad, den Persoon des misdadigers, en de verzwarende of mitigerende omstandigheden, bij de misdaad hebbende plaats gehad."

Sed nihil ad rem facit, quo modo poenae illae jam sint mutatae, quum semper condemnatio fiat ex articulis Codicis Poenalis anni 1810,

neque etiam aliae inductae sunt condemnationis sequelae, quamvis modus, ex quo sequelae illae profluant, diversus sit ab illo, qui ex Cod. Poen. locum habebat. Ex illo enim Codice infamia sequebatur poenas, *art.* 7 et 8. peculiariter enumeratas, nunc etiam *sola* accessit *declaratio* judicis, quotiescumque judex vi Decreti Regii maleficium a poenâ in catastâ subeundâ liberandum censet. Quodsi hanc Decreti interpretationem admittere nolumus, profecto absurdissimum quid nobis proponendum esset. Nam, si statuamus, infamiae declarationem poenam per se consistentem et propterea poenam revera perpetuam esse, non vero ipsius poenae, ut ita dicam, principalis accessorium, inde efficeretur, ad poenam morti proximam condemnatum melioris fore conditionis, ratione restitutionis in integrum, quam is, qui condemnatus fuit ad ergastulum sive incarcerationem, adjectâ declaratione infamiae (*Eerloosverklaring*), sine expositione in catasta; praesertim cum restitutione neminem a *poenâ*, sed ab insecuta *infamiâ* liberari posse, extra dubium sit.

Neque obstare putemus verba, quae leguntur

art.

art. 10. ejusd. Decr. "De straf van *Eerloos-verklaring*, bij art. 9 vermeld, zal dezelfde gevolgen hebben, als die bij het *Code Pénal* aan de *Degradation Civique* zijn toegekend:" nam et ipsum hoc verbum *poena* ibi latissimo sensu interpretandum videtur, et diserte etiam ad *sequelas* (*gevolgen*) refertur; ut adeo potius ad nostram sententiam confirmandam valeat.

Sed quid jam dicendum est de iis, qui ex art. 12. saepe laud. Decr. ad ergastuli sive carceris paucorum annorum, imo mensium vel dierum, poenam damnati sunt, verum sine virgarum castigatione vel expositione publicâ in catastâ, atque etiam sine ullâ expressâ declaratione infamiae, a judice factâ? Et mihi quidem longe probabilior videtur sententia eorum, qui contendant, ejusmodi condemnatum etiam restitutionis beneficio uti posse; quoniam illi, etsi levius, tamen *ob crimen* condemnati sunt, quod in reiteratione criminum saepe ita judicatum est; et sane non durius tractandi sunt illis, qui gravius, quam ex hoc art. 12. condemnati fuerunt, quibus facultatem restitutionis petendae ipsa lex concessit. Praeterea,

si

si hanc doctrinam non sequamur, dicendum foret, articulum 12. poenam criminalem mutasse in correctoriam, adeoque condemnatum nullâ plane restitutione indigere; verum hoc nemo facile contendat. Atque hanc opinionem defendere quoque non dubitavit Procurator Generalis Curiae Haganae in causâ, in quâ divortium ex art 232 *C. Civ.* petitum erat, ob condemnationem ad poenam, quae infamiam irrogaverat, licet ea condemnatio tantum ex *art.* 12. *supra laud. Decr.* locum habuisset.

Atque idem dicendum videtur de articulo 1 Regii Decreti, quod die 20 Januar. 1815. (N°, 1026) lucem vidit, ubi (3) eadem fere mitiga-

(3) *In alle gevallen, waar de aanwending der straf van dwangarbeid op tijd, bij het Lijfstraflijk Wetboek bepaald, met het minder aanbelang der misdaad in geen verband staat, of wanneer de schuldige ten aanzien dier straf eene vermindering of moderatie van aanbelang mogt verdienen, het zij ter oorzaak zijner jonge jaren, het zij omdat hij door anderen is verleid geworden, het zij eindelijk om eenige andere in zijn voordeel sprekende omstandigheden, zullen de Regters, voor het toekomende, bevoegd zijn, deze straf te veranderen in confinement en zelfs de schuldigen van de publieke tentoonstelling kunnen vrijspreken; zij zullen echter niet anders dan met de grootste omzigtigheid van deze bevoegdheid gebruik maken, en daarbij telkens de omstandigheden allegéren, die de beweegredenen tot zoodanige strafverandering zijn geweest.*
Vide *Journal Offic. du Gouvern. de la Belgique*, t. IV. N°.

gatio, *poenae mutatio* vocatur; nam hoc verbum minime ita accipiendum est, ac si ex hoc art. *mutatio poenae criminalis* in *correctoriam* revera in Belgio locum haberet.

Sed ad jus Gallicum redeamus. Sunt autem Interpretes (4), qui restitutionem etiam concedi statuant illis, qui gradu civitatis moti honoribusque privati sunt (*les condamnés à la dégradation civique*); quum dicant, alioquin articulo 619 sententiam tribuendam esse ipsius doctrinae contrariam atque plane absurdam. Liceat autem nobis ad hunc locum sequentia observare, poenam, quâ quis gradu civitatis movetur honoribusque privatur, perpetuam esse, cujus poenarum speciei nulla in jure occurrit restitutio. Praeterea, si is restitui posset, non a poenae maculâ, verum a poena ipsâ vel poenae parte liberaretur, quo sane nihil absurdius, quod tamen locum haberet, si quis ab illâ poenâ, quae perpetua est, ope restitutionis

N°. 1026. ubi in textu Gallico legimus *à commuer cette peine en celle de la réclusion.* Cf. *Decret.* 9 *Sept.* 1814. *ibid.* t. III. N°. 35. Cf. *Comm. sur le Code Pénal*, par M. CARNOT *avec des remarques* etc. Par. J. J. DRAULT, julsc. Bruxelles 1825 in — 8.

(4) Vid. CARNOT, Op. cit. edit. Paris. 1823. t. I. p. 109.

nis liberaretur. Multo magis igitur adsentimur *Le Graverendio* (5), quum statuat, restitutionem ab illo, qui gradu civitatis motus honoribusque privatus est, numquam peti posse ex lege, sed restitutionis effectus tantum ex summi Imperantis clementiâ (uti apud nos vi legis fundamentalis art. 67) illi concedendos fore. Neque in hac re, per memoratum Decretum anni 1813. art. 10 ulla mutatio facta est, quoniam manifesto dicitur, nudam infamiae declarationem, a judice factam, in locum venisse illius poenae, quae Gallice *Dégradation civique* vocatur; hoc ostendunt haec ipsa art. 10 verba: "zullende dezelve (*Eerloosverklaring*) ook in de plaats der *laatst gemelde straf* (*Dégradation civique*) *subintreren.*" Quod autem idem *Le Gravendius* observat, legislatorem non locutum esse de iis, qui exsilio mulctati sunt (*les condamnés au bannissement*); eos enim, simul ac tempus, huic poenae praestitutum, exstinctum est, ipso jure pristina jura consequi, et non opus esse

(5) Vid. J. M. LE GRAVEREND, *Traité de la Legislation Crim. en France*, *Paris* 1823, t. II. p. 765.

esse restitutione ex lege petitâ; etsi articulus 28. *Cod. Poen.*, ut porro addit, verbo utitur *numquam* (*à jamais*), non tamen inde effici posse, notam infamiae in exsilium missis, seu patriâ pulsis in perpetuum inustam esse: —hac, inquam; in quaestione liceat mihi a viro peritissimo dissentire; nam, primum poena exsilii diserte *art.* 8 iis adnumeratur poenis, quae infamiam, tamquam sequelam, adferant; et deinde, cum verba articuli 28 clara sint, etiam hoc loco non admittenda est voluntatis quaestio. Itaque nos, in hac quaestione dijudicandâ, *Carnotium* ad art. 619 potius auctorem sequendum putamus, adeoque statuendum, ad exsilium condemnatum, finitâ poenâ, restitutione omnino indigere.

Restitutionem etiam obtinere potest ille, qui, postquam vocatus est in Curiam Criminalem, ibique ob crimen condemnatus, iterum ad novum remittitur judicium, ratione alterius criminis, de quo accusatus est in ipsis contentionibus (*les débats*), etiamsi postea, altero quoque crimine probato, propterea fuerit condemnatus: si quidem illa criminis iteratio, de quâ in articulo 634 sermo est, locum habere

non potest, nisi alterum crimen commissum sit, post condemnationem prioris.

Porro a nonnullis quaesitum est, an ille, qui sedecim annis minor poenam ex art. 67 *C. P.* passus est, utpote declaratus *cum judicii facultate* egisse, finitâ poenâ, restitutione opus habeat? Cui propositioni negando respondendum arbitramur. Nam, ut concedamus, ejusmodi minorennem *ob crimen* condemnatum esse, adeoque ob criminis reiterationem ex art. 56 puniendum; quod et doctioribus ad dictum art. placet, atque a Curiâ Criminali saepe ita fuit judicatum; non tamen inde efficitur, talem fuisse condemnatum ad supplicium, quod infamiam irrogat, quod ante omnia requirit art. 619, ut supra diximus. Et praeterea durior esset minorennis, quam majorennis conditio, si uterque poenam exsilii aut expositionis in catastâ meruisset; hic enim nullam custodiae poenam subiret; ille vero etiam hac poenâ plecteretur, uti ex eodem articulo in fine constat. Quare nos defendere non dubitamus, eum, qui ex art. 67 punitus est, infamiâ non esse notatum, neque adeo hîc restituendae existimationi locum esse. De eo autem, qui declara-

ratus sit *sine judicio* egisse, nullam dubitandi rationem exstare, etiam tacente me intelligitur (6).

Denique cum, ut supra observavimus, Regis nostri Decreto d. 11. Dec. 1813 nonnulla in jure Criminali mutata sunt, tum etiam articulo 7 abrogata est poena illa, quâ ad operas publicas in perpetuum (*travaux forcès à perpétuité*) ex Cod. Poen. damnabantur malefici, et mutata in poenam temporariam ad summum 20 annorum, his verbis: "De straf van *altoosdurenden dwang-arbeid* (*travaux forcés à perpétuité*), voorafgegaan door eene *openlijke tentoonstelling aan de kaak*, en met *brandmerk*, wordt afgeschaft."

"In de plaats dier straf, wordt gesubstitueerd de straf van *geeseling, met den strop om den hals, aan de galg vastgemaakt, brandmerk* en een *confinement in een rasp- of tuchthuis*, voor eenen termijn, door den Regter te bepalen, niet te bovengaande den tijd van *twintig* achtereenvolgende jaren; of wel de straf *van het*

(6) Vid. *Recueil de la Discussion du Code des delits et des peines, motifs et rapport*, t. II. p. 39 et 50. *Paris* 1810.

het zwaaijen met het zwaard over het hoofd, uit te voeren op een schavot, met alle dezelfde toebereidselen, welke bij de onthoofding worden in acht genomen, verzeld van een *confinement in een rasp- tucht- of werkhuis*, mede voor eenen tijd, door den Regter te bepalen, niet te bovengaande den termijn van twintig achtereenvolgende jaren." Unde jam oritur quaestio, utrum ille, qui ex Codice Criminali ad operas perpetuas condemnatus fuit, et cujus poena ex hoc art. 7. commutata est in poenam temporariam, restitutionem ex lege petere possit, nec ne? Cui affirmando respondendum erit; nimirum Rex poenam illam abrogasse videtur, quia ipsam nimis severam judicaret, et forte etiam propterea, quod alioquin numquam restitui possit damnatus, at vero semper extra hominum commercium manere deberet. Si igitur Regis benevolentiae, hac in re, nihil detrahere volumus, statuendum erit, Regem iis hoc etiam beneficium reverâ concedere voluisse, quum eo modo omnibus legis requisitis, de quibus infra, aeque satisfieri possit.

Antequam vero ad sequentia pergamus, de ul-

ultimâ; quae hoc loco moveri posse videtur, dubitatione, quaedam adhuc a nobis erunt dicenda. Nimirum in illo Codice, qui de jure Mercatorio agit, exstat titulus (7), qui inscribitur *de la réhabilitation*, ibique articulo 612. legimus, Creditorum fraudatores, coudemnatos ob stellionatum (8), fures, veteratores, pellicatoresve sive deceptores (*escrocs*), tutores, administratores, aut depositarios, qui administrationis rerumve gestarum rationes reddere nequeunt, adeoque datam fidem haud servarunt, hos igitur omnes nullo omnino beneficio restitutionis in integrum uti aut gaudere posse; sed haec legis verba ad eam restitutionem, de quâ nos agimus, minime referenda putamus. Nam, quamquam non ignoro, ejusmodi maleficos et in primis creditorum fraudatores jam antiquitus (9) et etiamnum in Galliâ maximis

poe-

(7) Vid. *Code de Com.* L. IV. t. 5.

(8) Vid. *Cod. Civ.* art. 2059. ibique PAILLET. Cf. PIERRE LA CROIX, *Dict. du droit*, voce *Stellionat.*

(9) Cf. BOUTARIC, *d. Op.* t. II. ubi exstat *Explication de l'Ordonnance de Louis* XIV, *concernant le Commerce, du mois de Mai* 1673. *Toulouse* 1743. in —4, ubi pag. 116. t. XI. art. 12. legimus "*Les banqueroutiers frauduleux seront pour-" suivis extraordinairement et punis de mort:*" ad quem art. Auctor p. 117. notavit: "*Mais dans l'usage il en est de cette " pei-*

poenis, summâque ignominiâ dignos esse habitos; tamen probe mihi distinguendum videtur inter illam restitutionem, quâ quis omnia amissa civilia jura recuperat, ita ut etiam tamquam mercator in publicam, ut ita dicam, lucem prodire queat, de quâ in Codice juris Mercatorii unice sermo est, et inter aliam, de quâ loquitur Codex anni 1808, et de quâ nos in omni disputatione locuti sumus; et tum continuo constabit priorem denegandam esse, ex lege, omnibus iis, qui in dicto art. 612 recensentur, posteriorem vero iis, finitâ poenâ criminali, concedi omnino posse, ita tamen, ut omnia jura civilia, ex art. 28. *C. P.* amissa, recuperent, sed tantum ab exercitio mercaturae in conciliabulo mercatorum (*la bourse*) exclusi maneant.

Et primum quidem, si alia fuisset mens ac sen-

"*peine, comme de toutes les autres, c'est à dire, qu'elle est* " *arbitraire aux juges; et que les juges, suivant les circon-* " *stances, peuvent lui substituer ou le bannissement ou les Ga-* " *lères à perpétuité ou à temps;* " atque hanc sententiam multis probat exemplis. Cf. *les Déclarations de Louis* XV *die* 11. *Janv.* 1716. p. 169 seq. et *de* 3 *Mai* 1722. ib. p. 174. seq. Vid. etiam *Cod. Poen anni* 1791. Part. II. T. II. sect. II. art. 30 et 31. et *Code Pénal*, art. 402 seqq.

sententia legislatoris, in art. 619. *Cod. de modo Proc. in Caus. Crim.* adeoque post Codicem de jure Mercatorio, qui prodiit *die 25 Sept. anni* 1807, non dixisset *omnem condemnatum* sine ulla distinctione, sed exceptionem certe addidisset, uti in art. 634. quod ad reiterationem criminum fecit. Deinde nullam video rationem, cur omnibus iis, quos lex a beneficio restitutionis formâ juris Civilis excludit, eosdem etiam formâ juris Criminalis excluderet. Unde sequitur, contrariam opinionem et a legislatoris proposito abhorrere et ab iis, quibus usus est verbis, plane alienam esse. Quare minime miramur, optimos, qui de hac materiâ commentati sunt, auctores in eâdem versatos fuisse sententiâ, quam nos defendere non dubitavimus (10).

§. 2.

Qui restitutionem numquam obtinere possint.

Eos quidem, qui gradu civitatis moti honori-

(10) Vid. CARNOT, *Instr. Crim.*, t. II. p. 735. seq. Cf. *Exposé de la Legisl. Crim. du Code de Com.*, par M. DE VINCENS, *Paris* 1821. ch. 16.

ribusque privati sunt, beneficio restitutionis gaudere non posse, propter dissensum virorum doctorum, superiore paragrapho disputandum videbatur: at vero in nostro Codice lex exstat, quae illos nominatim a restitutione excludit, qui ob criminis reiterationem damnati sunt; legimus enim articulo 634 *le condamné pour récidive ne sera jamais admis à la réhabilitation;* quae distinctio in Codice Poenali anni 1791 non invenitur.

Haec autem legis dispositio, quamvis probanda, gravissimae tamen quaestioni ansam praebuit. Ratio, quare legislator eum, qui ob criminis iterationem condemnatus est, admittere noluit, illa videtur; ut semel condemnati hac restitutionis spe mores suos ipsi emendent, adeoque ad virtutis amorem alliciantur. Quodsi jam idem vitium committunt, atque animum huic legislatoris proposito contrarium indicant, et ipsi huic beneficio tacite renuntiasse videntur; praesertim cum ita ostendant, nihil boni amplius ab illis exspectari posse. Jam hoc loco oritur disputatio, quinam sub verbis *les condamnés pour récidive* intelligendi sint; an etiam illi, qui semel ob delictum, quod

cor-

correctionale dicunt, condemnati, postea commiserint crimen, et ob illud fuerint puniti? Nobis autem iis adsentiendum videtur, qui statuant, articulum 634 tantum illos comprehendere, qui ante crimen posterius commissum, jam ob prius crimen condemnati sunt. Ob crimen enim damnati restitutione indigent, quoniam illorum poena vel corporalis et infamans, vel ejusmodi est, quae infamiam tantum irrogat; non autem eâ indigent, qui delicta tantum perpetraverunt, quippe qui nullâ infamiae notâ inuruntur; prior itaque judicis sententia correctoria non adeo nocere potest, ut propterea legis beneficio privarentur. Accedit quod articulus 56 *C. P.* tantum mentionem facit eorum, qui ob crimen damnati, secundum crimen committunt; quae quidem legis verba, nos, *Carnotium* (11) secuti, ad interpretandam illam criminis reiterationem, quae in art. 634 occurrunt, ita referenda putamus, ne illud legis beneficium, de quo nos agimus, nimium restringatur. Neque obstat, quod illi qui semel deliquerunt et deinde gravius pecca-

(11) *De L'instruct. Crim.*, t. II. p. 748.

carunt, semper animum valde depravatum ostendant; nam profecto restitutionis beneficium numquam conceditur, nisi iis, qui posteaquam poenam passi sunt, morum emendationem ex legis praecepto Summo Imperanti probaverint.

Extra dubium etiam esse, satis constat, quin restitutio minime peti possit ab illis, qui legibus criminalibus atque sententiae condemnationis satisfacere noluerunt, veluti qui per contumaciam sunt condemnati, aut cujus poena praescripta est. Nemini enim restitutionis beneficium ex lege conceditur, qui judicis auctoritatem spreverit, aut ipsius sententiae obtemperare recusaverit, quemadmodum imposterum uberius a nobis exponitur.

§. 3.

Quid statuat lex anni 1791.

In lege sive Codice Poenali, diei 25 Septembris anni 1791. Parte I. Tit. 7. art. 1. haec leguntur verba: *Tout condamné qui aura subi sa peine, pourra demander à la municipalité du lieu de son domicile une attestation*

tion à l'effet d'être réhabilité; savoir: les condamnés aux peines des fers, de la réclusion dans la maison de force, de la gêne, de la détention, dix ans après l'expiration de leurs peines; les condamnés à la peine de la dégradation civique ou du carcan, après dix ans, à compter du jour de leur jugement (12).

Undè constat restitutionem in integrum damnatorum, eo tempore, latius, quam postea, patuisse. Nam et praeter eos, quos supra memoravimus, aliis concedebatur hoc legis beneficium: nimirum condemnatis ad id genus strictae custodiae, quod Gallice dicebatur *à la gêne* (13); deinde condemnatis ad incarcerationem, atque etiam iis, qui gradu civitatis moti honoribusque privati sunt. Quamvis in eo consentiant et antiquior lex et recens, ut nemo restitutionem obtinere possit, nisi qui poenam

(12) Vid. *Code Crim. et Correct. ou recueil Chronol. des lois, depuis* 1791. Paris 1805. pag. 46. Cf. etiam *Bibliothèque des Etudians en droit*, Paris 1805. t. III. p. 102.

(13) Hanc poenam ita describit CARNOTIUS *ad Codicis de modo proc. in caus. crim. articulum* 619. t. II. p. 737. " *Cette peine consistait à tenir le condamné enfermé dans un lieu eclairé, sans fers ni liens, mais sans aucune communication avec personne, pendant la durée de sa peine.* " Cf. d. *Recueil Chron.* p. 38 et seq. art. 14 et seqq.

nam passus fuerit. Ceterum obiter indicare liceat, auctores Codicis recentissimi anni 1808, etsi nonnulla, ut vidimus, restringere maluerunt, hoc tamen probasse, ut illis, qui tum, cum novissimus codex introduceretur, ad poenam strictae illius custodiae (*à la gène*) fuissent condemnati, etiam post anni 1791 abrogatum Codicem, finitâ poenâ, restitutio in integrum rite petita, concedi posset (14); quod nos quoque cum aequitate maxime convenire arbitramur.

(14) Cf. CARNOT, *l. l.*

CAPUT

CAPUT TERTIUM.

REQUISITA UT RESTITUTIO OBTINERI QUEAT.

§. 1.

Ex jure hodierno.

Quamvis autem restitutionis beneficium ex lege peti possit, unde a nonnullis jus quaesitum appellatur, jus tamen illud exercere non possunt condemnati, quando id illis videatur, aut quando propositum illis tantum fuerit, se ipsos in posterum emendandi, quibus omnibus a legislatore recte provisum est. Certas enim constituit regulas, quas in primis observare atque implere necesse habet is, qui restitui cupit, ne forte in societatem revertatur talis, qualis erat, quum poenâ dignus ab eâdem illâ so-

societate censeretur, quo sane civium saluti nihil perniciosius excogitari possit. Quamobrem lex in favorem salutis publicae nemini restitutionem concedere voluit, nisi is satis Regi probaverit, se ipsius benevolentiam, omnium, qui restitutioni sese opponere potuissent, auctoritatum consensu, implorare ad restitutionis beneficium per literas sibi concedendum. Antequam igitur illud a Rege petere liceat, nonnullis requisitis satisfacere debet. Primo jam requiritur, ut condemnatus poenam subeat, eamque plane ad finem usque passus sit; quum poenâ placide subeundâ ostendere debeat, se maleficio perpetrato angi, ejusque poenitentiâ duci. Neque vero hoc, quod poenam pati oporteat, ita accipiendum est, ac si condemnatus etiam debuerit solvisse, id quod interest et omnes impensas instructionis litis, aut in hac re abutendum articulis 52 et 53 C. P., qui definiunt tantummodo tempus, per quod in custodia adhuc detineri queat damnatus, qui non solverit ea, quae ab illo peti possunt. Sed de mulctâ, tamquam parte poenae, difficilior disputatio est. Et si attendamus ad verba legis: *pati poenam*, tenendum vi-

videtur, ab eo, qui mulctam fisco non solverit, restitutionem obtineri non posse. Neque tamen putamus, eum, qui emendationem vitae, finitâ maximâ ac principali poenae parte, omnibus probavit, unice ob mulctam, probatâ inopiâ non solutam, indignum judicari, cui restitutio benevolentiâ Summi Imperantis concedatur.

Secundum requisitum est, ut finitâ poenâ tempus quinque annorum exspectandum sit, antequam peti possit restitutio. Sed pro diverso poenarum genere, diverso quoque tempore hae poenae incipiunt. Nimirum eorum, qui apud Gallos ad operas publicas ad certum tempus damnati sunt, aut in ergastulum dati, poena incipit eo die, quo expositi sunt in contemtum publicum (*exposition* (1)). Sed hodieque ex Decr. 11 Dec. anni 1813 art. 9 et 11 a tempore vel *virgarum castigationis*, vel *illius expositionis publicae*, quae in locum abrogatae venit, vel denique a tempore, quo Curiae sententia irrevocabilis facta est, et vim rei judicatae obtinuit; si nempe malefici ex modo dictis articulis tantum infames sunt decla-

(1) Vid. art. 23. C. P.

clarati (*eerloos verklaard*), aut ex art. 12 unice ad ergastulum sive carcerem, sine ullâ trium harum poenarum mentione, condemnati sunt. Olim spatium illud quinque annorum non sufficiens videbatur, quare per longius tempus morum emendationis testimonia praebere debebat punitus.

Ut autem magis perspicue de illorum vivendi ratione, postquam poenam passi sunt, constaret, lex iis tertio praescribit, quo loco per spatium illud legitimum morari debeant, voluitque legislator, ut condemnatus per quinque continuos annos in eodem territorio Communitatis (*arrondissement Communal*) habitaverit, ita ut de his duos integros annos domicilium suum constituerit in territorio illius administrationis municipalis (*municipalité*), cui restitutionis petitionem offerre necesse habeat. Sed hoc loco quaeri posset, an modo dicta commoratio vel quinquennii vel biennii tam stricte observanda sit, ut ne quidem per rescriptum Principis restutio peti possit etiam intra illud temporis spatium? Etsi lex plane contrarium docet, Summus Imperans tamen, cui jus gratiae competit, ex illo jure ob certas

ac

ac graves causas, nonnullos annos remittere posse videtur. Ipse etiam talium restitutionis literarum exemplum vidi, quo plane biennium ex Summi Imperantis clementiâ petitori remissum erat; ut adeo de hac quaestione plura disputare nihil attineat. Sed tandem, si jam per spatium illud legitimum illis, quos diximus, locis commoratus est, producenda sunt morum emendationis testimonia, tradita tam a conciliis municipalibus (*Conseils Municipaux*), quam ab administratoribus municipalibus (*les Municipalités*) ejus regionis, in qua habitavit, aut commoratus est per omne tempus, a lege definitum, antequam petitionem offerre possit. Quae quidem omnia ob eam requiruntur rationem, quod ejusmodi magistratûs testimonia veluti votum commune exprimant.

Haec jam sufficere videntur de requisitis ratione illius, qui restitutionem petit; de formâ autem et modo, quo omnia fieri debeant, sequenti capite de industria disputabimus.

§. 2.

Ex lege anni 1791.

Prouti in nostro Codice, sic etiam in Codice anni 1791 requirebatur, ut ad finem usque poenam passus sit damnatus: at vero per longius temporis spatium illi exspectandum erat, ut supra verbo diximus, antequam peti posset restitutio, quum Codex anni 1791 decem annos postulet; nimirum, ut interea per duos integros annos domicilium constituendum esset in territorio illius administrationis municipalis, cui petitio offerrebatur. Altera differentia est, quod petitioni addenda erant morum emendationis testimonia, unice tradenda ab administrationibus municipalibus (*municipalités*) ejus territorii, quo forte commoratus fuerat vel domicilium suum constituerat per duos annos ante illud tempus, quo restitutionem petierit. Sic enim legitur articulo 2 his verbis: *Aucun condamné ne pourra demander sa réhabilitation, si depuis deux ans accomplis il n'est pas domicilié dans le territoire de la municipalité à laquelle sa demande est adressée,* et

et s'il ne joint à la dite demande des certificats et attestations de bonne conduite, qui lui auront été délivrés par les municipalités sur le territoire desquelles il a pu avoir son habitation ou son domicile, pendant les deux années qui ont précédé sa demande;

Les quels certificats ou attestations de bonne conduite ne pourront lui être délivrés qu'à l'instant où il quittera les dits domicile ou habitation.

Magnum igitur inter utrumque Codicem discrimen adest ratione temporis, quod petitionem praecedere debeat. Ratio, quare in nostro Codice deminutum est illud spatium, illa fortasse esse potuit, quod difficilius sit illis, qui semel deliquerunt, per quinque annos caste et integre vivere, quam, si per quinque annos jam ita vixerunt, eandem viam adhuc per idem temporis spatium continuare. Difficillima igitur pars illius requisiti suffecisse videtur legislatori nostro, qui praeterea forte etiam cavere voluit, ne interim, nimis longe exspectando, infamiâ oppressus moriatur, et proinde in perpetuum ab illo legis beneficio destitueretur. Quae ratio, si illa legislatoris fuit, mihi etiam probanda videtur.

CAPUT QUARTUM.

FORMA ET MODUS.

§. 1.

De restitutionis formâ a petitore ipso observandâ.

Ex iis omnibus, quae jam praemissa sunt, vidimus a parte petitoris non multa, quamvis illa maximi momenti, requiri. Primo enim pronuntiatae sententiae obtemperantiam in poena subeunda probare, ac dein vitae emendatae testimonia ostendere debet. At vero a parte eorum, qui jura civitatis curant, plurima sunt observanda legis requisita, cujus rei optima ac prudentissima ratio afferri potest; quum ex sequentibus videbimus, quomodo satis

tis tuto ipsa civitas talem recipiscentem in sinum suum recipere possit; quod in primis etiam postulatur, ne juribus omnium civium ullo modo damnum fiat. Hoc certe legislatoris propositum fuit in conficiendo nostro Codice, quum illi formae, quae lege anni 1791 descripta fuerat, ea addiderit requisita, quibus votum commune magis perspicue ostendi posset. At nos exponamus formam et modum, quo omnia jam peragenda sint. Ad petendam restitutionem admittendus est condemnatus, posteaquam, finitâ poenâ, per quinque annos in eodem Communitatis territorio habitaverit, et per duos interea integros annos domicilium suum constituerit in territorio ejus administrationis Municipalis, cui restitutionis petitionem offerre debet, atque posteaquam petitioni suae adjecerit vitae emendatae testimonia, tradita tam a Conciliis Municipalibus, quam ab administratoribus ejus territorii, quo habitaverit, aut domicilium suum constituerit per illud tempus, quod petitionem praecedere debeat (1). Illi igitur administrationi Municipali ejus loci, quo postremum per duos

(1) Vid. art. 620 *Cod. de M. Pr. in C. Cr.*

duos integros annos commoratus sit, mittenda est illa petitio; quae administratio non de concedendâ restitutione agere, sed quae deliberare debet, utrum illà, quae requiruntur, testimonia concedere queat, nec ne: quae si concedantur, communicanda sunt Concilio Generali Communitatis (*Conseil-général de la commune*), ut ejus habeatur opinio (2).

§. 2.

De testimoniorum vi ac naturâ.

Ratione autem illorum testimoniorum sequentia bene observanda sunt: illa olim approbari debuisse a Subpraefecto (*Souspréfet*), a Procuratore Imperiali (sive jam Regali), aut ab ejus Substituto et a Judicibus Pacificatoriis locorum, ubi habitavit, aut commoratus est (3). At vero nunc, post feliçem rerum conversionem, quum non amplius existant illi Praefecti, aut Subpraefecti, illa confirmantur a Gubernato-

(2) Vid. CARNOT *l. l.* t. II. p. 739.
(3) Vid. *idem*, *art.* 620 *Cod. de M. Pr. in C. Cr.*

tore Provinciae, ab Officiali ministerii publici apud tribunal Primae Instantiae (*de Officier bij de Regtbank van eersten aanleg*) atque a Judice Pacificatorio regionis (*het Canton*). Praeterea in eodem sequitur articulo 620, testimonia illa petitori tradi non posse, nisi eo tempore, quo domicilium vel habitationem mutaverit. Quodsi quaeratur, quare hoc statuerit legislator? respondemus, hujus rei rationem nobis illam videri, quod is, qui illa possideret testimonia, antequam domicilium suum aut habitationem suam mutasset, facile posset, his fretus testimoniis, iterum omittendo vel committendo peccare; et praeterea si condemnato, postquam ea acceperit, in eodem loco adhuc manere liceret, nec magistratus municipales, nec Gubernator Provinciae declarare possent, petitorem semper, id est per omne illud tempus, quo domicilium suum ibi habuit, moribus inculpatis fuisse: praesertim cum homini tantum datum sit de praeterito, non vero de futuro judicare. Quod autem attinet ad hos, quos ejusmodi testimonia tribuere oportet, iis summâ sane prudentiâ est inquirendum, an petitor revera illâ commendatione dignus sit.

G Nam,

Nam, quamvis pulchrum sit, eum, qui ad bonam frugem rediit, vi legis restituere, tamen imprudenter factum atque civitati perniciosum esset, si leviter concederentur: qui enim perversâ misericordiâ moverentur, reverâ nec petitoris emendationi satis, nec civibus ipsi suis prospicerent, quum semel in integrum restituto ad munera officiaque gerenda aditus pateat.

§. 3.

Quid porro horum instrumentorum ratione faciendum sit.

At vero, iis omnibus rite peractis, lex jubet (4), ut haec petitio, atque testimonia illa, quae articulo 620 requiruntur, atque etiam exemplar sententiae condemnatoriae (*expédition du jugement de condamnation*) deponantur in tablino (*au greffe*), ubi acta custodiuntur Curiae regiae, sub cujus ditione (*ressort*) habitat is, qui restitutionem petit: ratio autem quare deponenda sint illa instrumen-

(4) Vid. art. 621 *D. C.*

menta in supra memorato tablino Curiae regiae, sub cujus ditione petitor habitat, non autem in loco illo, quo acta publica custodiuntur ejus Curiae, quae sententiam pronuntiavit, illa esse videtur, quod hîc de novâ re agatur, de quâ prius dicta Curia judex naturalis existimari debet; quum contra ea Curia, quae condemnavit, ipsâ pronuntiatione sententiae officio defuncta esse intelligatur.

In nostro quidem Codice non disertis verbis praescribitur, a quibus missio horum instrumentorum facienda sit ad locum, ubi deponi debent, sed nos putamus, ipsum restitutionis petitorem haec omnia peragere oportere. Illè enim sibi concessa et legali modo approbata testimonia recuperat, adeoque ipse etiam curare debet, ut haec cum libello supplici ceterisque documentis in tablino Curiae regiae rite deponantur; et praeterea nulla existit lex, quae hoc officium administrationi Municipali vel aliis imponat.

§. 4.

Quaenam sint Procuratoris Generalis Regii partes.

Porro lex requirit (5), ut haec petitio atque illa documenta cum Procuratore Generali communicentur, qui hac de re sententiam suam sive conclusionem redditâ ratione (*motivée*) et in scriptis (*par écrit*) proferre debet. Sed quum in illa non expressum sit, a quo haec communicatio cum Procuratore Generali fieri debeat, verbo monendum est, recte a *Carnotio* observari, per Actuarium (*le Greffier*) hac de causâ certiorem fieri debere Praesidem Curiae Criminalis, (*chambre Criminelle*) et hic quidem Praeses instrumenta illa communicat cum Procuratore Generali, qui hac de re suam afferre debet conclusionem; ex quo efficitur, Procuratorem Generalem totius causae cognitionis exordium capere.

§. 5.

(5) Vid. art. 622 ej. C.

§. 5.

Quaenam sint Curiae Criminalis partes.

Antequam, quodnam Curiae hac in re sit officium, moneamus, verbo erit dicendum, per Curiam Criminalem illam intelligendam esse Curiam, quae in accusandis reis versatur (*chambre des mises en accusation*). Quod vero docet *Le Graverendius* (6), illam Curiam, ubi causae correctoriae dijudicantur (*chambre des appels Correctionels*), aliquando et Criminalem vocari, adeoque de petitione restitutionis in integrum cognoscere quoque posse, quamquam addit magis ex regulâ esse, ut Curiae Criminali, proprie sic dictae, causa deferatur, hoc nos quidem non negamus. Observasse autem hoc loco sufficiat, apud nos certe in usu positum esse, ut causa semper deferatur ad illam tantum Curiam, cujus nos supra mentionem fecimus. Jam vero Curiae Praeses unum e Senatoribus nominat relatorem (*rapporteur*), ut ipsa causa, conclusione Procuratoris Generalis ce-

(6) *Op. laud.* p. 766.

ceterisque omnibus perponderatis, eo accuratius dijudicari possit.

Intra quod autem tempus facienda sit illa relatio, lege definitum non est; sed vetat legislator, Curiam Criminalem arbitrium suum proferre, nisi post spatium trium ad minimum mensium, postquam petitionem acceperit. Hoc enim constat ex art. 627, quod quo pertineat, infra explicabimus. Haec vero relatio non fit *publice*, sed in ipso Curiae concilio, praesertim quum hic non agatur de sententiâ ferendâ, sed de consilio dando, sufficiatque petitori antea potuisse omnia sua sic ordinare, nihil ut deficiat eorum, quae lex requirit ad restitutionem acquirendam (7).

Quamdiu jam Curiae atque illi, qui munere publici ministerii fungitur (*le ministère public*) dubii quid de eo, qui restitutionem petit, restat, utrum revera legis beneficium mereatur, nec ne, non opus est, statim, antequam omnia perspecta habeat, sententiam suam pronuntiare. Illud enim legislator praevidit, cum in articulo 624 disertis verbis statuat, Curi-

(7) Cf. tamen CARNOT *ad h. l.* p. 740. *et seq.*

riam atque Ministerium Publicum in omni causae statu jubere posse, ut novae investigationes fiant, aut alia documenta adferantur; quae quidem omnia ad vitam moresque petitoris post condemnationem probanda pertinere videntur. Sed hoc loco verbum *jubere* (*ordonner*) quaestioni ansam praebuit, quare lex eo utatur, cum de Procuratore Generali sermo sit, cujus officium esse solet *inquirere* vel *postulare*, non autem *jubere*, quod proprie judicis tantum est. Et quidem ex *Carnotii* sententiâ, quae mihi probabilis videtur, ita explicandus est ille articulus, ut teneamus, Procuratorem Generalem, antequam sententiam suam protulerit, quin etiam post factam relationem, semper supra dicta documenta exigere posse, ut facta melius pleniusque cognoscere, et de rei veritate eo certius judicare, adeoque Curiae tuto consulere aut arbitrium suum probare queat. Atque hanc legis cautionem in hac praecipuâ causâ laudandam esse, acutissimus *Le Graverendius* (8) etiam observavit.

Antequam porro Curia Criminalis suum profer-

(8) *Ead. pag.* Cf. CARNOT. p. 741.

ferre possit arbitrium, Procurator Generalis curare debet, ut petitionis mentio fiat in diariis sive diurnis judiciariis (*journal judiciaire*) cum ejus loci, ubi ipsa illa Curia sedem habet, tum ejus loci, ubi ipsa condemnatio pronuntiata est (9). Sed cum ejusmodi diurna apud nos non exstent, in eorum locum successit Diarium Status (*de Staats-Courant*), vel Provinciae illius, in quâ condemnatio locum habuit. Atque hoc sumtibus petitoris fieri, manifestum est. Haec autem petitionis nuntiatio tribus vicibus in illis ephemeridibus repetenda est, ita ut quâque hebdomade una inseratur: cujus cautionis non longe quaerenda est ratio; nam profecto sic civibus opportunitas datur omne illud in medium proferendi, quod, vel ad commendationem, vel ad detrimentum petitoris, cognitum habeant. Nam uniuscujusque interest, ut is, qui restitui cupiat, revera omnium civium fide dignus sit. Et in primis eo magis necessaria videtur illa provisio ex Codice Gallico, quod relatio a Magno Judice Ministro Justitiae facienda nullas novas per-

(9) Vid. art. 625. *D. C.*

pervestigationes admittat, atque restitutione semel pronuntiatâ nulla rei mutatio locum habere possit. Quid vero in hac re jure nostro constitutum sit, infra suo loco indicabimus.

Omnibus illis jam legum requisitis observatis, Curia non nisi audito Procuratore Generali suum profert arbitrium (10). Neque tamen prior conclusio Procuratoris Generalis, ex articulo 622, sufficere visa est Ampl. *Carnotio* (11), sed et post relationem in Curia factam, alteram ex lege requiri dicit, atque propter eam forte rationem, quod prior, ut illi videatur, Procuratoris conclusio hûc tantum spectet, utrum omnia, praecipue in formâ, recte sese habeant, nec ne; posterior vero ex articulo 626 magis ad materiam pertineat, id est, an petitio concedenda vel neganda sit.

Sed nos quidem non videmus, cur duplex illa conclusio requiratur, praesertim cum verba legis ad officium ipsius Curiae proprie pertineant, adeoque omnem dubitationem excludant. Et profecto, si Procurator Generalis sta-

(10) Art. 626. *D. C.*
(11) Ad art. 626. p. 742.

statim ab initio rem satis dijudicare possit, quod plerumque locum habere credimus, unicâ conclusione omnia exponere potest, quemadmodum in Curiâ nostrâ quoque fieri, nobis innotescere contigit.

Praeterea bene tenendum est ad illa verba legis (*donnera son avis*), Curiam judicatum, sive sententiam proprie sic dictam, ferre non debere, sed tantum ab eâ declarandum esse, quid sibi videatur de admittendâ atque concedendâ vel negandâ petitione; quandoquidem a Rege tantum pendeat, utrum illam concedere velit, nec ne: quam Regis potestatem lex judici tribuere noluit. Quemadmodum autem lex unicuique requisito opportune tempus reliquit, sic etiam Curiae tempus praescribit, intra quod res absolvi nequeat; requiritur enim spatium trium ad minimum mensium, postquam libellus supplex traditus est (12). Sed a quo die hoc trimestre spatium currere incipit, utrum ab illo die, quo petitio administrationi Municipali oblata fuerit, an vero a die, quo deposita sint instrumenta sive documenta illa in ta-

(12) Vid. art. 627. *ej. C.*

tablino Curiae regiae? Et nos quidem assentimur iis, qui statuant, Legislatori propositum fuisse, ut hoc spatium inciperet a die, quo petitio oblata sit administrationi Municipali. Objici quidem nobis posset, Curiam ante documentorum depositionem non posse investigare, an preces veritate nitantur, quoniam illa antea ne quidem inspicere licuit. Neque obstat, quod dilatione depositionis per duos, imo tres menses ipsi Curiae non satis temporis superesset, ad omnia ea peragenda, quae legislator ab illa requirit. Nam hoc loco profecto disputatio est de termino *a quo*, non vero *ad quem*: nimirum, quodsi depositio post illud demum spatium locum habuerit, nihil tamen ad rem faceret; quum tribus illis mensibus tot addi possint, quot ad necessarias probationes sibi comparandas Curia indigeat. Ex his igitur satis constare videtur, tres illos menses initium capere, postquam administrationi Municipali oblata fuerit restitutionis petitio (15).

§. 6.

(13) Vid. porro CARNOTIUS *h. l.*

§. 6.

Quid fiat, si Curia petitionem negandam censeat.

Quum facile accidere possit, ut neque deposita illa instrumenta, neque necessariae illae investigationes sive probationes sufficiant Curiae Criminali, lege cautum est, ne petitor semper infamiâ oppressus maneret; adeoque illi adhuc concessit, ut si restitutionis petitio Curiae Criminali non admittenda visa sit, post novum quinque annorum spatium idem rursus petere posset (14). Ut autem recte intelligatur, quaenam legislatoris hac in re fuerit mens, nonnulla a nobis observanda sunt. Et primum quidem credimus, hos quinque annos incipere a die, quo Curia declaravit restitutionis petitionem minime admittendam sibi videri. Sed multum differt, quam ob causam petitionem suadere non potuerit, vel rejiciendam censuerit. Nam v. c. si rejecta est petitio ejus, qui ob criminis iterationem condem-

(14) Vid. art. 628. *ej. C.*

demnatus fuerit, sive per contumaciam, sive cujus poena praescripta est, tales petitores numquam rursus admittendi sunt. Quamvis enim valde generalis sit art. 628, numquam tamen ejusmodi petitores comprehendit. Quodsi vero Curia regia petitionem recusandam putavit propterea, quod v. c. morum emendatio non satis probata sit, per quinque annos exspectandum est, priusquam petitio instaurari possit. Et haec quidem omnia vel recusationem ex ipsa rei naturâ, sive ex *materia* spectant. Videamus jam quid dicendum sit, si petitio negata fuerit ob aliquod ipsius *formae* vitium, vel defectum. Atque ego sane non video, cur ille, cujus petitio ob unum alterumve formae vitium aut defectum admissa non fuit, per quinque annos exspectare deberet ad renovandas preces; si nempe Curia his aut similibus usa est verbis " *hocce praesenti tempore* " rejectam esse petitionem, et quidem ob hoc illudve vitium in formâ, tamquam unicum recusationis fundamentum: sin vero unice et simpliciter declaravit Curia, petitionem non admitti posse, nullâ expres-

ni (15) ratione, forte ob plurima formae vitia, omnino putamus, preces non nisi post lapsum quinque annorum ex articulo 628 reiterari posse. Restitutionis enim beneficium non, nisi peractis solennitatibus, lege praescriptis, concedi potest; quando igitur illas non omnimodo observaverit petitor, sibi etiam imputare debet, quare feliciori successu usus non sit. Jam vero si, post quinque annorum spatium, novas igitur preces afferat, omnia tam ab illo, quam a Curiâ rursus iterum peragenda sunt, ut supra pluribus explicavimus.

§. 7.

De eo, quod porro agendum, si Curia petitionem admittendam censuerit.

Si vero nullum amplius dubium exstat quin petitoris precibus satisfieri possit, Curia regia suum profert arbitrium, admittendam sibi vi-

(15) Id autem rarissime locum habet, cum Curia, uti apud Ampl. GRAVERENDIUM legimus, plerumque sententiae sive arbitrii rationes reddere soleat.

videri restitutionis petitionem. Posteaquam ita judicaverit, Procurator Generalis hoc Curiae arbitrium in scriptis redactum cum omnibus documentis mittere debet ad Magnum Judicem, Ministrum Justitiae et quidem nullâ morâ interpositâ (*dans le plus bref délai*); cujus rei ratio illa videtur, quod agitur de statu hominis sive personae et per consequentiam de re, quae totam attingit civitatem. Sed cum superiora omnia vitae emendatae testimonia, et ipsum Curiae arbitrium simpliciter tantum suasoriam opinionem contineant, cumque haec opinio contrariâ opinione impugnari possit, ex articulo 629 Judici Magno, Ministro Justitiae potestas data est consulendi praeterea illam Curiam, a quâ petitor condemnatus fuerat, nihil ut ipsi deficiat, quominus efficere possit, ut Rex, omnibus rebus perspectis, dijudicare queat, utrum restitutionis literas concedere velit, nec ne. Neque obstat, quod Curiae Criminales, quae sententiam condemnatoriam tulerunt (*Cours d'Assises*), non sint perpetuae, sed quovis trimestri spatio dissolvantur, adeoque consuli vix possint; quandoquidem Minister Justitiae quovis tempore potest

test recurrere ad acta publica atque omnia ea, quae ad instruendum judicium pertinuerunt, quae quidem semper in tablino Curiae, sive Tribunalis Primae Instantiae asservantur; id quod nos quidem in hac re sufficere putamus. Sed quâ ratione in his rebus Minister Justitiae jure hodierno plerumque agere soleat ex sequentibus constabit.

§. 8.

Quae porro agenda sint, ut res ad finem perducatur.

Ut autem haec materia rite a nobis tractetur, hoc loco videndum erit, quid in Codice Gallico constitutum sit, atque olim observandum fuerit, deinde quaedam adferamus ex Decreto 23. Dec. anni 1813. et denique memorabimus ea, quae hodieque fieri soleant.

Et primum quidem in articulo 630 legimus, Magnum Judicem, postquam omnia acceperit, quae ad accuratam rerum cognitionem requirebantur, et de quibus supra diximus, ad Imperatoriam Majestatem de petitione factâ refer-

ferre in Concilio privato, composito eâ ratione, quae in legibus fundamentalibus 16 Thermidoris, anni X art. 86 (16) praescripta est; nimirum praesentibus ipso Magno Judice, duobus Imperatoriis Administris, duobus Senatoribus, totidem Consiliariis Status et Judicibus Curiae Rescissoriae sive *Cassationis*, uti vocatur: qui quidem omnes consultores tantum erant; solus enim Imperator Decretum interponebat, auditis omnibus, id est, concedebat vel negabat petitam in integrum restitutionem (17).

Sed jam ex supra memorato Decreto 23. Dec. anni 1813 art. 1 et 6 Summus Imperans duo instituit Concilia, quorum opinionem sive sententiam exquirendam censuit, antequam de petitione sibi factâ statuendum existimaret; alterum horum Conciliorum sive Collegiorum compositum est ex omnibus Curiae Regiae Praesidibus et Procuratore Generali, idque Belgice *Com-*

(16) Vid. RONDONNEAU, *Collect. des Lois Françaises* t. I. p. 35.

(17) Vid. BOURGUIGNON, CARNOT et alii Interpretes ad h. l.

Commissie van Gratie vocatur, alterum vero constat ex ipso Rege Augustissimo, illius Collegii Praeside, Primo Curiae Haganae Praeside, duobus vel pluribus regis Administris, qui anno 1813 belgice *Commissarissen-Generaal* dicebantur, porro ex Praesidibus modo dictae Curiae, et Procuratore Generali vel Primo Advocato Generali, si forte Procuratoris vicibus fungatur (18).

Atque ita pervenimus ad nostrum jus hodiernum, in quo praecipua Codicis Gallici praescripta, quae in art. 631 et 632 occurrunt, adhuc observantur.

Postquam igitur, ut §. 7 superiori diximus, a Procuratore Generali Minister Justitiae acceperit et Curiae Regiae arbitrium et omnia, quae huc pertinent, documenta ac probationes, ab eodem hoc Ministro, ponderatis rebus, eidem Procuratori Generali cuncta remitti solent, ac simul peti, ut Concilium sive Collegium, quod articulo 1°. Decr. 1815 describitur, quod ex Praesidibus Curiae Regiae et

(18) Ejusmodi quoque Collegia in Provinciis nostris Meridionalibus exstare notum est.

et Procuratore Generali constare vidimus, convocet, ut adeo, quid illi omnes de admittendâ vel rejiciendâ precatione sentiant, Rex plane cognoscere possit. Quodsi jam Rex, omnibus rebus bene perponderatis, atque perspectis, petitoris preces audiendas censeat, neque necesse judicaverit alterum illud Concilium sive Collegium, cujus ex articulo 6 dicti Decr. supra mentionem fecimus, convocare (quod quo pertineat ex ejusdem Decr. articulis 4 et 5 intelligi potest) ipse decretum interponit, quo restitutio in integrum petitori conceditur, et continuo conficitur Diploma (vulgo *Literae patentes* dicuntur), ut hoc Regis beneficium unicuique et ubivis cognitum atque apertum sit. Praeterea hoc Regis decretum cum ejusdem apographo sive exemplo, atque etiam apographum diplomatis mittuntur a Ministro Justitiae Procuratori Generali ad hunc finem, ut hic a Curia requirere possit, ut nullâ morâ interpositâ in actis Curiae, quae condemnationis sententiam pronuntiavit, et quidem in margine illius arresti describantur apographa et hujus Regii Decreti et ipsius diplomatis, quemadmodum in art.

632 cautum legimus (19). Quod autem in articulo 631 dicatur, arbitrium Curiae Regiae (20) inserendum esse ipsi diplomati, hoc etiam apud nos locum habere ipse vidi.

Minister Justitiae autographum decretum atque diploma (sive *in originali*) Curiae Regiae mittit, atque rogat, ut haec tradenda curet ipsi petitori, vel eum, si nempe condemnatus est in aliâ Provinciâ, quam in illâ, ubi Curia Regia sedem habet, ad ejusmodi Provinciae Procuratorem Criminalem deleget, cujus officium est curare, ut dictae adscriptionis in margine condemnatoriae sententiae, etiam expressa mentio fiat in extradendo diplomate. Curia vero Regia relinquere solet Procuratori Generali, ut ea omnia rite perficiantur. Ille enim a Procuratore Criminali in eâ provinciâ, in quâ condemnatio locum habuit, requirit vel postulat, ut modo dictum diploma in tablino Cu-

(19) Cf. Interpretes ad h. l.

(20) Cf. J. MICHEL DUFOUR, *Code Crim. avec Instruct. et form.* Paris 1809. 2 tom. in — 8. qui ad articulum 631 hanc rationem reddit: " parcequ'elle (*la cour*) est garante à quel- " ques égards, de son avis, qu'elle ne doit donner qu'en " grande connaissance de cause."

Curiae, quae condemnavit, transscribatur in margine sententiae condemnatoriae, atque hoc rite factum esse in ipso autographo diplomate adnotetur. Quibus tandem peractis, Procurator Criminalis illud diploma solenni modo, atque cum aptâ oratione tradere debet petitori, ita ut hic recte intelligere possit, quantum non tantummodo legi, verum etiam Regis beneficio ac clementiae debeat. Sed si forte petitor in ipsâ illâ provinciâ habitat, ubi Curia Regia sedet, adeoque etiam Curia illa Criminalis, a quâ condemnatus erat, vix opus est, ut moneamus, nullas jam esse Procuratoris Criminalis partes, quia tum ipse Procurator Generalis curare solet, ut omnia rite transscribantur atque adnotentur et denique, ut solenniter ipsum diploma petitori tradatur, adeoque, ut omnia fiant, quemadmodum in lege ac Decreto 23 Dec. anni 1813 praescripta sunt.

Ceterum adhuc verbo dicendum est, ex dicti Decreti articulo 8, Regi Augustissimo placuisse, ut, quotiescumque ipse re legitimo modo tractatâ atque auditis omnibus, quos, ut vidimus, consulendos existimavit,

 pe-

petitionem negandam censuerit, illud sine ullâ solennitate, brevi decreto nullâque redditâ ratione, tam Procuratori Generali, quam ipsi petitori significaretur.

§. 9.

De formâ et modo damnatorum restitutionis in integrum, ex Codice Poenali anni 1791.

De differentiis, quae inter utrumque Codicem existunt ratione illorum qui restitutionem petere possunt, jam supra monuimus. Restat igitur, ut videamus, qui modus requireretur, atque quae forma observanda esset ex hoc Codice Poenali anni 1791.

Prima autem quae statim occurrit differentia haec est, quod ex illo Codice administrationi Municipali, cui petitio oblata fuit, tradenda erant vitae emendatae testimonia, concessa solummodo ab iis administrationibus Municipalibus, in quorum territorio condemnatus forte habitaverit, vel domicilium constituerit per duos annos, ante illud tempus, quo petitionem ob-

obtulit. Harum igitur administrationum Municipalium testimoniis declaratur, condemnatum probis moribus fuisse per duos annos, vel per omne illud tempus, quo ante petitionem in illa regione commoratus est. In eo tamen, ratione testimoniorum, illi Codices conveniunt, quod non tradenda fuerint, nisi eo tempore, quo petitor domicilium in alium transtulerit locum; legimus enim in fine art. 2: *lesquels certificats ou attestations de bonne conduite ne pourront lui être délivrés, qu'à l'instant, où il quittera les dits domicile ou habitation.* Sed quamvis in eo conveniant, in hoc tamen rursus differunt, quod in illo Codice non opus erat, ut illa petitio ac documenta vel etiam morum emendationis testimonia deponantur; quae depositio etiam nulli rei inservire potuisset, quum a Concilio Generali Communitatis (*Conseil Général de la Commune*) ex proprio judicio atque ex propriis pervestigationibus illa traderentur testimonia. Neque etiam opus erat, ut illa testimonia approbarentur a Subpraefecto atque ab omnibus illis, qui in lege anni 1808 porro enumerantur. Legislator enim fidem habuisse videtur iis,

quae

quae literis mandavit ipsa administratio Municipalis. Non tamen huic consequens est, nostri Codicis legislatores propterea aliter sanxisse, acsi sine aliorum approbatione non satis credi posset administratorum Municipalium testimoniis; quum illa approbatio tantum requiri videatur, ut ipsa petitio eo majorem habeat vim. Et quantum haec ratio ab altera dissentiat, nemo non videt.

Post octo dies a tempore, quo petitio facta est, convocandum erat Concilium Generale Communitatis, eidemque ipsa petitio significanda. Illud enim continetitur articulo 3, ubi dicitur: *Huit jours au plus après la demande, le conseil général de la commune sera convoqué, et il lui sera donné connaissance de la demande.*

Unusquisque vero illorum, ex quibus Concilium illud constabat, per mensem ab eo tempore, quo res ipsi innotuerat, omnia investigare atque perscrutari poterat, ut sibi de petitoris vivendi ratione satis clare constaret.

Illo autem mense praeterlapso rursus convocandum erat Concilium, ut res rite et legitime

pe-

peragi posset. Dicitur enim articulo 4: *Le conseil général de la commune sera de nouveau convoqué au bout d'un mois; pendant ce temps, chacun de ses membres pourra prendre, sur la conduite du condamné, les renseignemens, qu'il jugera convenables.* Atque haec omnia legens unusquisque nobiscum facile intelliget, quantopere haec forma atque modus, et illa, de quibus antea diximus, a se invicem differant, ac quot quantaque in nostro Codice adjecta fuerint.

Nullus enim requiritur, qui suam opinionem redditâ ratione aut in scriptis proferre debet, uti Procurator Generalis apud nos. Pauci etiam dies consiliariis dabantur ad necessarias investigationes, quum contra per plures menses apud nos ubique commode omnia inquirere possint Curia et Procurator Generalis. Non etiam in omni causae statu, prouti ex *articulo* 624 *nostri Codicis*, novae peti poterant investigationes. Nusquam quoque in hoc Codice Poenali locus exstat, qui agit de petitionis mentione in diariis publicis faciendâ, ita ut cuique opportunitas sit, se huic petitioni opponendi; horum enim

omnium nihil quidquam in hoc Codice invenitur.

Sed reliqua persequamur, et videamus, quid porro, finito mense, agendum erat. Consiliarii illi (*membres du conseil*) non eo modo, prouti apud nos, quando alter alterius argumentis persuaderi aut convinci potest, sententiam dicebant, sed suffragia ferebant tacita, v. c. per tabellas, utrum optata testificatio concederetur, nec ne; *Les avis seront recueillis par la voie du scrutin, et il sera décidé, à la majorité des voix, si l'attestation sera ou non accordée*, ita in articulo 5 legitur. Quodsi jam ex majore parte suffragiorum constat, concedendam esse illam testificationem, duo Officiales Municipii, aut, illorum mandato sive procuratione instructi, duo Officiales ejus urbis, ubi sedem habet Tribunal Criminale ejus regionis, in cujus territorio petitor suum habuit domicilium, hi igitur condemnatum in auditorium istius tribunalis conducere debebant, et quidem coram judicibus et praesente populo. Porro ibi lectâ sententiâ, quâ petitor condemnatus fuerat, altâ voce ab illis Of-

Officialibus erat dicendum: "*Hic poenâ sub-*
" *eundâ crimen expiavit* (21), *ejus vivendi*
" *ratio jam non est culpanda; petimus igi-*
" *tur nomine patriae suae, ut a criminis*
" *maculâ in posterum liberetur.*" Simulac autem illa verba pronuntiata erant, Praeses ejusdem tribunalis judicum sententiam non rogat, sed sequentia verba profert: *Ex tes-*
" *tificatione, atque tuae patriae petitione,*
" *Lex atque Tribunal maculam ex tuo cri-*
" *mine ortam delent.*" Quae omnia continentur art. 6 et 7. Loquitur enim lex articulo 6: *Si la majorité est pour que l'attestation soit accordée, deux officiers Municipaux revêtus de leur écharpe, ou, avec leur procuration, deux Officiers Municipaux de la ville, où siège le tribunal criminel du département dans le territoire du quel le condamné est actuellement domicilié,* conduiront *le condamné devant le dit tribunal criminel.*

Ils y paraitront avec lui dans l'auditoire, en présence des juges et du public. Après avoir

(21) Vid. FACCIOLATI in voce *expiare.*

avoir fait lecture du jugement, prononcé contre le condamné, ils diront à haute voix: UN TEL A EXPIÉ SON CRIME EN SUBISSANT SA PEINE; MAINTENANT SA CONDUITE EST IRRÉPROCHABLE: NOUS DEMANDONS, AU NOM DE SON PAYS, QUE LA TACHE DE SON CRIME SOIT EFFACÉE. — Quibus porro articulo 7 additur:

Le président du tribunal, sans délibération, prononcera ces mots; SUR L'ATTESTATION ET LA DEMANDE DE VOTRE PAYS, LA LOI ET LE TRIBUNAL EFFACENT LA TACHE DE VOTRE CRIME.

Ex his certe omnium maxima atque praecipua modi differentia oritur, quae inter utrumque Codicem exstare umquam potuit. Non enim illud legis beneficium a Rege vel Summo Imperante conceditur, sed ab ipso Concilio illud pendet. Praeses etiam solus non concedit illam, quamvis primo oculorum obtutu ita videri possit, quum in articulo 7 legamus, *le Président sans délibération prononcera.* Etenim si ex plurimorum suffragiis non conceditur illa testificatio, Praeses ea verba pronuntiare ne-

nequit. Ipsi igitur testimoniorum concessioni concilii consensus inest, ut haec a Praeside proferri possit formula (22).

Sed quamvis ipsa res a voluntate Concilii vel saltem majoris illius partis pendeat, hoc tamen non impedit, quominus statuere audeamus, nostram formam multo magis juris principiis convenire, quam illa, quae ex Codice Poenali locum habebat. Restitutio enim in integrum, licet condemnatus quoddam jus habeat petendi, semper tamen tamquam gratia ex clementiâ Summi Imperantis consideranda est. Liberatur enim a poenae maculâ, quae alioquin perpetua esset.

Hanc igitur facultatem recte nostri Codicis legislatores Summo Imperanti concesserunt; cui soli jus aggratiandi competit. At vero ex Codice Poenali illa potestas Concilii Communitatis generalis Adsessoribus tribuitur, et nulla regiae voluntatis ratio habebatur. Quod quare

(22) Observat quoque CARNOTIUS, *Instr. Crim.* t. II. p. 735, hanc judicum praesentiam ideo requiri; ut ipsi actui, quo a Praeside restitutus declaretur, major tribuatur auctoritas.

re ita tum placuerit, temporibus forte tribui possit.

Sed redeamus ad ea, quae porro facienda erant, ne nimis a proposito aberremus, longius quaerendis rationibus, quare hoc beneficium Regi negatum fuerit.

Et horum tandem omnium, quae hucusque peragenda esse vidimus, solennem facti expositionem sive narrationem in scriptis redigendam esse, articulus 8 jubet; *Il sera dressé de tout procès-verbal.* Cujus rei rationem in sequenti articulo invenimus. Cum enim tribunal Criminale, quod restitutionem pronuntiavit, non idem esset, ac illud, quod condemnationis sententiam tulerat, hujus facti expositionis sive narrationis descriptum exemplum ipsi erat mittendum, ut transscriberetur in actis (*registre*) et quidem in margine sententiae condemnatoriae. Legislator enim articulo 9 ejusdem Codicis dicit: *Si le tribunal Criminel où le jugement de réhabilitation sera prononcé, est autre que celui, où a été rendu le jugement de condamnation, la copie du dit proces verbal sera envoijée pour être trans-*

transcrite sur le registre en marge du jugement de condamnation. Ex hoc enim articulo 9 sequi videtur, idem tribunal aliquem prius condemnare et dein restituere posse, quod nostri Codicis principiis plane repugnat.

Habemus formam, ex Codice Poenali anni 1791 observandam, ut quis restitui posset. Sed unicus adhuc exstat articulus, quo continetur, quid condemnato relinqueretur, si illud legis beneficium non statim obtinere posset. Aeque ac apud nos, sic etiam antea non in perpetuum ab illo destituebatur condemnatus; sed post certum tempus petitionem reiterare poterat; in eo tamen differentia est, quod non per quinque annos, at vero per duos illi exspectandum esset. Et, licet illud lex disertis verbis non dicat, nobis tamen subintelligi videtur, omnia eodem modo eâdemque formâ peragenda fuisse. Dicitur tantum, quodsi maxima suffragiorum pars illam testificationem negaverit, petitionem a condemnato demum post duos exinde annos renovari posse; atque de biennio in biennium reïterari, donec ipsi concessa fuerit jam saepius petita restitutio. Hoc le-

legimus art. 12 his verbis: *Si la majorité des voix du corps municipal est pour refuser l'attestation, le condamné ne pourra former une nouvelle demande, que deux ans après, et ainsi de suite, de deux ans en deux ans, tant que l'attestation n'aura pas été accordée.*

Atque hunc quidem locum paulo accuratius, ob ipsius rei momentum, explicandum putavimus. At vero jam ad sequentia progrediamur.

CAPUT

CAPUT QUINTUM.

EFFECTUS.

§. 1.

Ex jure nostro.

Ex praecedentibus jam satis constare videtur, quinam sint, qui hoc legis beneficium implorare possint, ut et quo modo omnia rite fieri debeant; nunc autem videndum erit quinam tandem sint restitutionis effectus, omnibus iis observatis, quae lex ad illud beneficium obtinendum requirit, et hoc hujus capitis argumentum erit.

Omnes igitur effectus unico quidem continentur articulo 633, at vero ad hunc recte intelligendum, nonnulla a nobis praemonenda

fuerint. Atque ante omnia tenendum est, articulo illo agi de iis, quae locum habent *in posterum*, sive postquam restitutionis literas acceperit condemnatus, neque adeo ullam praeteriti temporis rationem haberi. In hoc vero articulo legitur, omnem facultatum privationem, quae ex sententia profluit, per restitutionem in integrum in posterum cessare; sed quaeritur forte a quo die illa cessare incipiat. *Carnotius* (1) quaestionem movet, utrum haec facultatum privatio cessare debeat a die, quo literae concessae sint, an vero ab illo die, quo missae sint Curiae, quae suam protulit opinionem? Cui quaestioni respondet: arbitrium (*un avis*) Concilii Status, die duodecimo mensis prerial, anni 13, approbatum ab Imperatore die 25, statuere, omnia decreta, quae legum collectioni (*bulletin des lois*) non inserta sunt, vel quorum tituli tantum indicantur, esse *obligatoria* ab illo die, quo de his certiores facti sunt illi, quorum interest, per publicationem, aut promulgationem (*affiches*), per notificationem aut significationem, si-

(1) *Instr. Crim.* p. 746.

sive denique per missionem factam ab illis, qui munere publico funguntur (*les fonctionnaires publics*), quibus illud onus incumbit. Ex his sequi videtur, olim illam facultatis privationem cessare debuisse ab illo die, quo restitutionis concessio ipsi petitori, legitimâ ratione, innotescere potuit. Apud nos vero ab omni jurium facultatumve privatione liberatus est ab illo temporis momento, quo literae ipsi traditae fuerunt, et minime a die, quo concessae sunt a Rege in Concilio privato, siquidem post illud factum quaedam adhuc observandae sunt regulae, ipso regis decreto praescriptae; quo decreto etiam additur, literas illas petitori tradendas esse, ut effectum dein sortiri possint; quibus verbis mihi contineri videtur, illas literas demum obligatorias esse post observatas regulas, id est, hoc loco, post traditionem impetranti factam.

Quum autem hae literae, quibus restitutio continetur, condemnatum liberent ab infamiâ atque ab omni facultatum privatione, quam ob condemnationem pati debuit, sequitur, illum in societatem redire ibique jura sua ex-

cercere aeque ac unus ex reliquis civibus, qui numquam ob condemnationem infamis declaratus fuit.

Sed quae jam sunt illa jura vel facultates, quibus ex condemnatione fuerat privatus et quae post restitutionem redduntur? Haec omnia in lege Poenali (2) accurate sunt exposita: nimirum in eo consistunt, quod primum numquam judex juratus esse possit, sed cum hoc munus post Decretum 11. Dec. 1813 non amplius apud nos exstet, facile intelligitur, condemnatum jus, quod subeundâ poenâ perdere non potuit, etiam restitutione hodie non recuperare; deinde, quod ipsi numquam liceat tamquam arte peritus (*expert*) suam proferre opinionem; nec in actibus ut testis intervenire; nec testimonium dicere in judicio, in quo tantum indicationes (*renseignemens*) in medium proferre possit; porro, neque tutor neque Curator esse queat, nisi liberorum suorum, quando consensus familiae insuper requiritur; privatur etiam jure armis utendi (*droit*

(2) Vid. art. 28 *Cod. Poen.*

(*droit de port d'armes*); et denique militandi in exercitibus Regis.

Plurima quidem adhuc alia incommoda ex condemnatione oriuntur, quae pati debuit; sed ab iis ipso jure liberatur, simulac poenam passus est: sic v. c. durante poenâ, suo nomine actionem in judicio instituere nequit, neque res suas gerere, vel bona sua administrare: sed ad haec omnia nominandus est curator eo modo, qui curatoribus praescriptus est cum de curâ interdictorum agatur (3). Postquam autem poenam passus est, bona ejus ipsi restituenda sunt, atque etiam curator administrationis suae rationes reddere debeat, propterea quod ante poenam finitam in condemnatum nullam pecuniae summam, nulla alimenta nullamque redituum partem transferre potest (4). Haec igitur incommoda, quum ipso jure finitâ poenâ cessent, ad articulum 633 non spectant.

Ex praemissis satis apparere videtur, illum, qui semel ad poenam corporalem, seu quae infa-

(3) Vid. art. [illegible] *Cod. Poen.*
(4) Vid. art. 31 *Cod. Poen.*

famiam irrogat, condemnatus fuit, acceptis restitutionis literis, in societatem redire, ac si numquam infamiâ fuerat notatus, ibique omnia jura, quibus ante condemnationem frui licuit, excercere posse, quum tali legis beneficio se dignum praebuerit. Nulla igitur, quoad ejus jura, differentia est inter illum, qui restitutus est, et inter eum, qui numquam aliquid contra leges poenales commiserit; in hoc tamen differre videtur, quod contra priorem semper exstet judicis sententia, quâ condemnatus fuit, sed illa ipsi numquam nocere potest, nisi eo casu, quo rursus contra leges criminales peccaverit.

Attamen erunt fortasse, qui dicant, ad ejusmodi incommoda, quae ex condemnatione profluunt quaeque restitutione tolluntur, etiam illud incommodum referendum esse, quod numquam ipsi rursus judicis sententia objici possit, si in posterum ab eo fuerit peccatum. Illud autem nobis non ita videri, ex eo patet, quod hoc non memoravimus, quum in illo argumento versati fuerimus; et fatemur, nos multo magis adsentire iis, qui statuant, reiterationem criminum (*récidive*) locum habe-

bere, quotiescumque restitutus in integrum postea crimen committat.

Quamvis quidem nostrum non sit, ipsam reiterationis doctrinam ex professo tractare, de illâ tamen hoc loco quaedam erunt dicenda, ad hanc explicandam quaestionem, utrum nempe inter restitutionis effectus etiam ille intelligendus sit, quod restitutus ad caput *de reiteratione criminis*, in posterum referri possit, nec ne.

Quum autem haec doctrina de reiteratione criminis ex Codice Poenali explicanda sit, sequitur, nos evolvere debere hujus codicis caput (5), quod agit, *de poenis illorum, qui semel ob crimen vel delictum commissum, sunt condemnati*. In primo hujus capitis articulo 56 legislator definivit, quid intelligi voluit per vocem *recidive* dixitque: *quicumque, postquam ob crimen commissum damnatus fuerit, alterum crimen committit*, etc.

Ex hisce jam satis apparet, hanc fuisse legislatoris mentem, ut nempe judicis sententia exstet, quâ ob crimen aliquis fuit condemnatus;

(5) Vid. *Caput* 4. Lib. I. *Cod. Poen.*

tus; neque porro definivit quomodo poenam illam pati debuit; quum nihil referat, utrum ad finem passus sit priorem poenam, an vero pars quaedam poenae ipsi remissa, vel ipsa poena in aliam, ex Principiis clementiâ, fuerit mutata, et quae sunt generis ejusdem. Semper illud remanet, quod semel condemnatus sit, et hoc sufficit, ut hac lege comprehendatur. Nulla adeo ratio esse videtur, cur exciperemus eum, qui ob crimen condemnatus, postea in integrum restitutus est. Etenim hic tantum ab infamiâ, quae ex condemnatione profluit adeoque a facultatum privatione ex articulo 28 liberatur; non vero, ut supra vidimus, ab ipsâ poenâ, et multo minus ab ipsâ judicis sententiâ; quod profecto locum habere non potest, quum ipsa condemnatio infecta fieri nequeat.

Cum itaque ipsa condemnatio vera causa sit, cur ex articulo 56 *Cod. Poen.* puniatur, et semper maneat verum, eum, qui jam est restitutus olim fuisse condemnatum, ex hac etiam causâ, tamquam effectus, sequi debet, restitutum aeque ac alios, qui numquam a Principe restituti sunt, et postea alterum crimen

men committunt, ad hunc articulum referendum esse. Atque ita etiam judicatum esse a Primariâ Galliae Curiâ, cujus auctoritati multum tribui solet, nuperrime mihi innotescere contigit (6). Praeterea etiam tenendum est, condemnatum per restitutionem in integrum tantum liberari ab illis incommodis, quae modo memoravimus, non vero ab omni condemnationis effectu; neque illud durum videri debet. Hoc enim restituto numquam obesse potest, si leges Criminales continuo observare pergat; sin autem iterum peccat, judici plurimum prodest, ad talem ingratum imo deperditum hominem severiter ac merito puniendum. Quid enim magis abhorrendum excogitari potest, quam talem ingratum, qui, cum omnium maximum legis beneficium acceperit, non omnimodo damnum civitati semel datum resarcire, imo civitatis quietem, libertatem atque civium possessiones conturbare pergit? Nullo itaque mo-

(6) Vid. *Arrestum Curiae Cassationis d. 6 mens. Febr. anni* 1823. Rationes decidendi, quae ibi leguntur, cum iis, quas ipse attuleram, mirifice convenire summâ cum animi voluptate cognovi.

modo mirum videri potest, quod legislator tantum locutus sit (7) de facultatum privatione, non vero de effectibus, qui ex condemnatione oriri possunt; uti olim in Codice Poenali anni 1791 locum habuisse constat.

Certe non inconsiderate hunc effectum omiserunt illi, qui nostrum conscripserunt codicem, sed in primis ita illis placuisse videtur haec criminis reiterationis doctrina, ut illam etiam conservare voluerint, cum hoc beneficium, de quo tota nostra agit disputatio, habuerit locum.

Neque ego is sum, qui hanc maximi momenti quaestionem propriâ auctoritate dirimerem, nisi haec legislatoris mens fuisse videretur, aut nisi etiam acutissimi ingenii interpretes eandem hanc defendissent doctrinam, quorum hac in re sententiam adhuc breviter adferre liceat.

In primis doctissimus *Graverendius* (8) nobiscum facit, putans, priorem condemnationem illi, qui restitutus est, si postea alterum crimen

(7) Vid. art. 633. *Cod. de m. pr. in C. Cr.*
(8) *Traité de la Legisl. Crim.* t. II. p. 608 seq.

men vel delictum committit, revera imputari debere; confitetur etiam, ejusmodi doctrinam forte nimis severam videri posse, quum a poenae maculâ liberatus sit talis restitutus; sed observat etiam, legislatorem sibi videri nullum alium effectum restitutioni tribuere voluisse, nisi ut omnis facultatum privatio, quae ex condemnatione profluit, in posterum cessaret; quibus etiam, in adnotatione eodem loco, ad confirmandam hanc sententiam sequentia addit. " Un arrêt, rendu le 17 janvier 1812, par la " Cour de cassation, avait jugé que la réha- " bilitation faisait cesser la compétence de la " Cour spéciale à l'égard d'un individu accusé " d'un nouveau crime emportant peine afflic- " tive ou infamante; mais l'arrêt du 21 mai, " qui lui est postérieur, a déclaré, que cette " modification n'était pas admissible." Ex iis igitur, et praecipue ex arresto diei 21 mensis Maji, probare voluit, Curiam specialem de crimine, a restituto postea commisso, judicare debere, adeoque ejusmodi restitutum etiam ex articulo 56 *Cod. Poen.* puniendum esse.

Quamvis autem Ampl. *Carnotius* de illâ curiae specialis jurisdictione tantum dubitanter

locutus sit (9), non alia tamen ipsius est de nostrâ quaestione mens ac sententia, cum etiam putet (10), neque praescriptionem poenae, ex priore condemnatione pronuntiatae neque restitutionem condemnati umquam illud efficere posse, ut minime condemnatus fuerit ob crimen commissum, quod quidem unum ex articulo 56 *Cod. Poen.* requiri dicit, ut locus esse possit reiterationi criminis. Et hoc porro confirmari voluit eo, quod Curia rescissoria sive cassationis, die 20 mensis Junii, anni 1812, judicavit (11), articulum nempe 56 *Cod. Poen.* applicari debere accusato, qui alterum crimen commisit, antequam ad finem poenam passus esset, ad quam priore judicis decreto condemnatus fuerat: " Attendu que c'est la con" damnation précédente que l'article 56 prend " en considération sans s'occuper du résultat " de la condamnation." Sic etiam porro statuit,

(9) Cf. CARNOT, *Instr. Crim.* ad art. 619 p. 738. inprimis t. III. p. 310, 312. ad p. 738. n°. 8.

(10) Cf. *Commentaire sur le Cod. Pén.* t. I. p. 168.

(11) Cf. Arrestum ejusdem Curiae die 25 mens. Julii anni 1812.

tuit, illum, qui poenae gratiam a Principe impetravit, vel cujus poena in aliam mutata fuit, quamvis etiam haec infamiam non irroget, si is dein alterum facit crimen, ex eodem articulo 56 plectendum esse; et hoc quidem ita ob eandem statuit rationem, quod semper ob crimen condemnatus maneat. At vero unicam tantum agnoscit causam, quâ aliter judicandum sibi videtur: quando nempe ob novam litis contestationem sive causae recognitionem (*sur la révision de son procès*) omnino aliquis absolvitur: quum nova illa contestatio sive causae recognitio locum non habeat, nisi exstinctâ judicis sententiâ, quâ condemnatus fuerat; quae, si exstincta est, nullum producit effectum; cessante enim causâ, omnis quoque cessat effectus.

Ostendimus jam quinam sint restitutionis effectus, et vidimus illum, qui hoc beneficium accepit, in posterum omnibus illis juribus ac privilegiis uti posse, a quibus, ex articulo 28 *Cod. Poen.* in perpetuum alioquin destitutus fuisset.

 §. 2.

§. 2.

Ex Codice anni 1791.

Ut tandem finis huic capiti imponi possit, restat, ut videamus, quosnam effectus legislator Codicis Poenalis anni 1791 restitutioni tribuerit, quâ in re ab iis, quos supra memoravimus, differant, ac quinam restituto magis minusve prosint. Sed cum hic locus explicationem paulo difficiliorem habeat, plura legis verba adferenda videntur, ut illa, pro nostris quidem viribus, rite exponi possint.

Et primum quidem dicitur in lege, per restitutionem omnes omnino condemnationis effectus, jurium facultatumve privationem cessare, ita ut restituto in posterum nihil amplius imputari aut objici queat. Hûc pertinet articulus 10, in verbis: *La réhabilitation fera cesser, dans la personne du condamné, tous les effets, et toutes les incapacités résultant de la condamnation.* Ex hoc autem Codice effectus illi, qui ex condemnatione profluunt, continentur *titulo quarto ejusdem primae partis,*

tis, quos enumerare non inutile erit, ut tanto melius intelligantur jura et facultates, quas ex condemnatione amisit, quasque restitutione recuperat.

Dicit autem lex (12), omnes ad operas publicas, ad ergastulum, ad strictam custodiam, incarcerationem, ad poenam quâ quis gradu civitatis movetur honoribusque privatur, et denique ad expositionem publicam condemnatos (quae omnia genera poenae latius explicantur tit. I art. 6—28 d. legis), hos igitur omnibus juribus ac praerogativis civium proprie sic dictorum privari atque ea numquam nisi restitutione ex hac lege recuperare posse. Praeterea, ut fere apud nos, alii erant condemnationis effectus, alia incommoda, a quibus ipso jure finitâ poenâ liberatur condem-

(12) Vid. art. 1. *Quiconque aura été condamné à l'une des peines des fers, de la réclusion dans la maison de force, de la gêne, de la détention, de la dégradation civique ou du carcan, sera déchu de tous les droits attachés à la qualité de citoÿen actif, et rendu incapable de les acquérir. Il ne pourra être rétabli dans ses droits, ou rendu habile à les acquérir, que sous les conditions et dans les délais, qui seront prescrits au titre de la réhabilitation.*

demnatus, ut supra vidimus; nullam enim actionem civilem instituere poterant durante poenâ (13), quo tempore etiam res suas gerere non licebat, et nominandus erat curator, qui bona eorum administraret. Ex formâ autem solenni, quâ curator interdictis nominatur, ex eâdem hic nominandus erat curator (14). Bona (15) tamen condemnati ipsi reddenda erant, postquam poenam passus fuerat, ut et curator bonorum administrationis suae rationes reddere debebat. Sed durante poenâ nulla redituum pars ipsi tradi poterat (16); quamvis ex bonis suis pars quae-

(13) Vid. art. 2. *Quiconque aura été condamné à l'une des peines des fers, de la réclusion dans la maison de force, de la gêne ou de la détention, indépendamment des déchéances portées en l'article précédent, ne pourra pendant la durée de la peine, exercer par lui-même aucun droit civil: il sera pendant ce temps, en état d'interdiction légale, et il lui sera nommé un curateur pour gérer et administrer ses biens.*

(14) Vid. art. 3. *Le curateur sera nommé dans les formes ordinaires et accoutumées pour la nomination des curateurs aux interdits.*

(15) Vid. art. 4 *Les biens du condamné lui seront remis après qu'il aura subi sa peine et le curateur lui rendra compte de son administration et de l'emploi de ses revenus.*

(16) Vid. art. 5 *Pendant la durée de sa peine, il ne pour-*

quaedam praecipi posset, quae requiritur ad educandos atque dotandos liberos, vel ad alimenta uxori, liberis, parentibus praebenda, si illâ ope plane indigeant. Neque illa bonorum deductio locum habere poterat, nisi ex sententia judicis, post petitionem rite factam, auditis propinquis atque curatore, et posteaquam is, qui nomine regis ministerio publico fungitur, suam protulerit opinionem (17). Praeterea per omne tempus, quo detinerentur, nemini licebat in illos quidquam transferre, quo meliorem reddere possent suam conditionem, praeter illud, quod industriâ atque labore fortè sibi comparare potuerint; quum poena in illos, qui hoc conati fuerint, ex lege constituta sit. Hoc enim expressis verbis statuitur (18).

De-

pourra lui être remis aucune portion de ses revenus, mais il pourra être prélevé sur ses biens les sommes nécessaires pour élever et doter ses enfans, ou pour fournir des alimens à sa femme, à ses enfans, à son père ou à sa mère, s'ils sont dans le besoin.

(17) Vid. art. 6. *Ces sommes ne pourront être prélevées sur ses biens qu'en vertu d'un jugement rendu à la requête des demandeurs, sur l'avis des parens et du curateur, et sur les conclusions du commissaire du roi.*

(18) Vid. art. 7. *Les conducteurs des condamnés, les*

com-

Denique de effectibus deportationis, nihil in lege statuitur; sed legislator de iis pronunciare distulit, donec omnia, quae ad illam materiam pertinent, rite definita atque ordinata essent (19).

Ceterum cum supra monuerimus, etiam eum, qui post restitutionem in integrum aliud commiserit crimen, revera iterare crimen, adeoque ex articulo 56. *Cod. Poen.* puniendum esse, hoc loco quaeri posset, an idem dicendum sit de eo, qui ex lege anni 1791 beneficium restitutionis acceperit? Et mihi quidem videtur, hoc casu reiterationem criminis locum non habere; propterea, quod in articulo 10, ut vidimus, disertis verbis dicatur, omnes om-

commissaires et gardiens des maisons où ils seront enfermés, ne permettront pas qu'ils reçoivent, pendant la durée de leur peine, aucun don, argent, secours, vivres ou aumônes, attendu qu'il ne peut leur être accordé de soulagement qu'en considération et sur le produit de leur travail.

Ils seront responsables de leur négligence à exécuter cet article, sous peine de destitution.

(19) Vid. art. 8. *Les effets résultant de la déportation, seront déterminés lors du règlement, qui sera fait pour la formation de l'établissement destiné à recevoir les malfaiteurs qui auront été déportés.*

omnibus condemnationis effectus cessare, quae verba legis in eo, quo nos adhuc utimur, Codice, ideo etiam de industriâ omissa videntur. Quodsi autem haec nostra sententia vera sit, sequeretur, conditionem restituti anni 1791 favorabiliorem quam hodie fuisse. Verum ut in eo major fuerit favor, ex articulo 11 tamen nemini conceditur restitutio, nisi posteaquam damnum a se datum resarcierit, id quod interest praestiterit, atque omnem solverit pecuniae summam, ad quam condemnatus fuerat. Quae, ut nemo negabit, saepe adeo molesta esse possunt, ut in dubium vocari plane queat, quaenam lex, an illa anni 1791, an haec, quae hodie viget, durior habenda sit. Nam, ut suo loco observavimus, illa reiteratio criminis nemini nocere potest, nisi qui volens ac prudens iterum peccaverit; cum contra saepe accidat, ut quis etiam post emendationem vitae nihil habeat, unde magnam aliquando pecuniae summam solvat, atque adeo ipso talis legis beneficio destitutus manere deberet. Legimus enim illo articulo 11: *Toutefois l'exercice des droits de citoyen actif du condam-*

né demeurera suspendu à l'égard du réhabilité, jusqu'à ce qu'il ait satisfait aux dommages et intérêts, ainsi qu'aux autres condamnations pécuniaires qui auront été prononcées contre lui.

Et haec quidem omnia, quae hucusque disputavimus, ad Jus Gallicum vetus et illud quo tamquam jure hodierno utimur, pertinuerunt. Reliquum est, ut pauca, quae de aliorum populorum legibus dicenda videantur, breviter persequamur.

CAPUT

CAPUT SEXTUM.

SUPER ALIORUM POPULORUM LEGIBUS ATQUE INSTITUTIS.

§. 1.

De jure Attico.

Ad praestandum id, quod in constitutione totius disputationis promisimus, Jus Atticum praetermittere non licuit. At nemo facile postulabit, ut jus illud Atticum latius a me explicetur, quam ipse *Samuel Petitus* fecit, qui leges Atticas collegit, digessit atque anno 1655 edidit. Referam igitur pauca ea, quae apud *Sam. Petitum* legimus quaeque ad nostrum argumentum quodammodo forte poterunt referri; quamquam ego quidem nullum inveni

 lo-

locum, quo de poenam passis et restitutis de industria agatur.

Et primum quidem in Libro IV. tit. 9, qui inscribitur *de Poenis*, hae occurrunt leges:

Aerarius, donec multam irrogatam solverit, ignominiosus esto (1).

Si quis aerarius, antequam multam solveret, obierit, liberi eam solvunto: secus si faxint, ignominiosi sunto, donec solverint.

Aerariorum nomina expungito, multâ solutâ.

Ex quibus legibus arbitror constare, aerarium, etsi ignominiosum, multâ solutâ, existimationem recuperare, adeoque ipsâ vi legis in integrum restitui. De qua re videndus est *Samuel Petitus* (2); qui porro observat: *At multae a judicibus irrogatae, ne quidem ipse populus, nedum Quaestores, aut quivis alius de populo, gratiam facere poterat.*

Fuit porro promulgata lex, cujus haec sunt verba: *Infamia notati quotquot sunt ante Solonis Praeturam, integrae famae restituuntor,*

(1) Vid. Jurispr. Rom. et Attica, in quo exstant SAM. PETITI leges Atticae; *Lugd. Bat.* 1741. t. III, p. 465.

(2) Vid. Ibid. p. 466. *et seqq.*

tor, praeterquam ii, qui ab Areopagitico Senatu, vel Ephetis, vel in Prytaneio, referente Rege, damnati caedis, aut latrocinii, aut affectati regni, in exilium iverunt, cum haec Lex promulgata.

Quum vero haec lex ad amnestiam referenda videatur, et multas habeat exceptiones, non satis convenit cum iis, quae a nobis supra ex lege Gallicâ tradita sunt.

Sequitur denique lex, quae, ut ita dicam, modum procedendi continere videtur, his verbis: *Relationem nemo facito de ignominiosis, ut famae restituantur, neque de aerariis, ut expungantur, et dignitati reddantur pristinae, nisi Athenienses sex millibus non pauciores, clanculum suffragia ferentibus, quibus libitum erit, scitum fecerint id licere: tunc relationem faciunto, quomodo Senatui populoque visum fuerit.* Ad quam legem omnino consulendi sunt *Sam. Petiti* commentarii.

Neque plura quidem de jure Attico in medium proferre potuimus et omnino difficilioris hujus loci explicationem relinquere cogimur iis, qui in studio linguae rerumque Graecarum as-

satis magnos progressus fecerint; idque eo lubentius facimus, quod accepimus, doctissimo elegantissimoque viro nostrati propositum dudum fuisse, totum hunc locum *de Infamia apud Athenienses* pertractare. Quae quidem disputatio, ut brevi lucem videat, vehementer optamus.

§. 2.

De damnatorum restitutione in integrum apud Romanos.

Quamvis apud Romanos restitutio sic, quemadmodum illa in Codice Gallico occurrit, non inveniatur (3), in quibusdam tamen cum illa conveniunt damnatorum restitutiones in integrum.

Non loquimur de illis restitutionibus, quas ul-

(3) Nam in Codice Theodosiano L. IX. t. 43, qui inscribitur *de sententiam passis et restitutis et liberis eorum*, lege 1 exstat causa de jure patris deportati et reversi, cui dignitas ac bona restituta sunt. Sed ex ipsa lege constare videtur, *compertam integritatem* hujus restitutionis causam fuisse, adeoque cum nostro argumento nihil commune habere.

ultimis reipublicae temporibus; atque sub Imperatoribus, sibi invicem brevi subsequentibus, saepe locum habuisse constat; cum post rerum conversionem priorum magistratuum res judicatae, unice ob politicas rationes vel ut tempori inserviretur, rescinderentur ab aliis; alteri parti deditis, cumque condemnati praecipue exsules revocarentur.

Illud enim non Justitiae, verum potius temporibus tribuendum est; ac minime bene prudenterque constitutam civitatem probat. Merito igitur etiam dixit *Cicero* (4), "Perditae civitates, desperatis omnibus rebus, hos solent exitus exitiales habere, ut damnati in integrum restituantur, vincti solvantur, exules reducantur; res judicatae rescindantur. Quae cum accidunt, nemo est, quin intelligat, ruere illam rem publicam: haec ubi eveniunt, nemo est, qui ullam spem salutis reliquam esse arbitretur."

Neque etiam spectamus, quod tamen aliquomodo cum nostrâ materiâ convenire videri pos-

(4) *In Verrem* L. V. c. 6. Et *contra Rullum ad Quir.* cap. 4.

possit, ea exempla, quae in historia Romana inveniuntur, quando nobiles aut alii revocabantur atque in integrum restituebantur, (quod ipsi contigit Ciceroni) et quibus exemplis ipse etiam his alludit verbis (5): " Atque haec sicubi facta sunt, facta sunt, ut homines populares aut nobiles supplicio aut exsilio levarentur; at non ab his ipsis, qui judicassent: at non statim; at non eorum facinorum damnati, quae ad vitam et omnium fortunas pertinerent."

Neque tandem agimus de eo, quod Praetores Romani in provinciis ab antecessoribus injuste condemnatos in integrum restituebant, iisque omnia bona, ex condemnatione amissa, reddere solebant; cujusmodi *Cicero* (6) nobis memorat exemplum, cum dicat, Metellum multos a Verre, cui ipse successerat, condemnatos bonisque suis spoliatos in integrum restituisse, iisque bona reliqua reddidisse.

Haec enim in integrum restitutionis species unice erat rerum judicatarum rescissionis effec-

(5) In *Verrem* l. l.

(6) In *Verrem* L. II. c. 25. in fine, et c. 26.

fectus. Sed praecipua restitutionis in integrum, de quâ nobis agendum fuit, vestigia inveniri posse videntur in illâ, quae saepe ex Romanorum Imperatorum clementiâ ac gratiâ fiebat, et inprimis ratione perduellium, exsulum atque illorum qui erant deportati, de quâ tam in Digestis quam in Codice titulus exstat, qui inscribitur *De sententiam passis et restitutis*. Et hoc quidem loco observaudum est, hancce restitutionem, tamquam gratiam considerandam esse atque ad recte et juste condemnatos pertinuisse, quia ex longe aliis principiis, id est, *ex justitiâ* profluens alia adhuc erat restitutio in integrum, quae *κατ᾽ ἐξοχὴν Justitiae* vocabatur, quâ ejusmodi condemnati, quorum innocentiae ratio postea manifesto apparuit, ab omnibus injustae poenae sequelis atque effectibus liberabantur (7). Atque huc spectare videtur *Ulp.* §. *ult. l.* 1. *de Quaest.* ubi legimus: " Et exstat Epistula Divorum Fratrum " ad Voconium Saxam, quâ continetur libe-

" ran-

(7) Aliqua etiam similitudo exstare videtur inter hanc restitutionis speciem, et inter illam peculiarem caussam articulo 444 *Cod. de M. Pr. in C. Cr.* memoratam.

" randum eum, qui in se fuerat confessus,
" cujus post damnationem de innocentia con-
" stitisset, cujus verba haec sunt:" *Prudenter et egregia ratione humanitatis, Saxa carissime, Primitivum Servum, qui homicidium in se confingere metu ad dominum revertendi suspectus esset, perseverantem falsa demonstratione, damnasti, quaesiturus de consciis, quos aeque habere se mentitus fuerat, ut ad certiorem ipsius de se confessionem pervenires; nec frustra fuit tam prudens consilium tuum: cum in tormentis constiterit, neque illos ei conscios fuisse, et ipsum de se temere commentum; potes itaque decreti gratiam facere, et eum per officium distrahi jubere; conditione additá, ne umquam in potestatem domini revertatur, quem pretio recepto certum habemus libenter tali servo cariturum.* Quibus in *fine* §. 1 *ejusdem Ulpianus* addidit: "Principi eum
" scribere oportet, si quando ei, qui nocens
" videbatur, postea ratio innocentiae constitit."

Illa autem restitutio ex clementia Principis orta, ut magis ad rem accedamus, vel *generalis* vel *specialis* erat.

Ge-

Generalis enim illa dicebatur, quando plures condemnatos simul decreto in integrum restituebant Imperatores; et ad hanc pertinent diversa illa Principum rescripta, quae in *tit. Cod. de sententiam passis et restitutis* occurrunt, ubi loquuntur de restitutione *ex generali* sive *communi* indulgentia Principum; et qui ita restituebantur, reditum in patriam tantum, non vero pristinos honores vel pristina bona acquirebant. Hinc *Philippus leg. 7 Cod. h. t.* dixit: *Generalis indulgentia nostra reditum exulibus seu deportatis tribuit: non etiam loca militiae pridem adempta concessit, neque integram atque illibatam existimationem reservavit.*

Specialis vero restitutio illa erat, quando unus tantum condemnatus restituebatur, eratque duplicis generis, sive *plenissima* sive *minus plena*. *Plenissima* autem dicebatur, quâ restitutus omnia, tam civitatem, quam honores, bona et reliqua omnia acquirebat jura, veluti patriam potestatem, jus patronatus et quae hujus generis plura sunt. Haec plenissima restitutio merito ab *Ulpiano* cum jure postliminii comparatur, quo omnia redintegrantur jura il-

lis, qui ex captivitate ab hostibus reversi sunt. Sic enim dixit, *in leg.* 6 §. *pen. D. de injusto, rapto, irrito facto test.*: *Ab hostibus capti testamentum irritum fieri, sed jure postliminii reversi vires suas recipere, aut si ibi decedant lege Cornelia confirmari. Ergo et si quis damnatus capite in integrum indulgentia principis sit restitutus, testamentum ejus convalescat.* Animadvertit igitur *Ulpianus* effectus juris postliminii, atque restitutionis in integrum ex indulgentia principis factae, quoad testamenti confirmationem eosdem esse (8). Cum autem Princeps unice rescriberet *restituo te in integrum*, in animo ei erat plenissima restitutio. Uti Imperator Antoninus *in leg.* 1. *Cod., de sent. pass. et restit.* ipse declaravit, dicens: " *Ut autem sciAS*

(8) Huic etiam *plenissimae* restitutioni alludit Justinianus *in* §. 1 *Inst. quib. mod. jus patriae potest. solv. Sed si ex indulgentia restituti fuerint per omnia, pristinum statum recipiunt.* Ita enim distinguendum esse, ut *per omnia* referatur ad verba *restituti fuerint*, non vero ad verba *pristinum statum*, docuit jam CUJACIUS *Observ.* L. XXVII, cap. 1. Cf. Viri Clar. H. W. TYDEMAN, *Spec. Jur. Inaug. de Rebus Judicatis non rescindendis.* 1799. §. LXX.

scias quid sit in integrum restituere, honoribus et ordini tuo et omnibus caeteris te restituo."

Minus plena vero erat, quando Princeps peculiariter nominabat ea omnia, quae restitutione concedere vellet, quo fiebat, ut arctior vel plenior esset, pro multitudine eorum, quae hoc beneficio comprehenderentur. Si v. c. Princeps dixisset *restituo te bonis et patriae*, praeter *bona* restitutus *honores* non recuperabat. Ejusmodi igitur speciali restitutione minime reviviscebant patria potestas atque jus patronatus.

Quodsi restitutus omnia bona vel certam bonorum partem accepisset, creditorum actiones, sive ex asse, sive pro rata portione bonorum, quae receperat, reviviscebant: sed, si non certam bonorum suorum partem, verum aliquid tantum ex indulgentiâ Principis impetravisset, aere alieno ex praecedenti tempore liberatus erat (9).

Porro animadvertendum est, omnis illius in integrum restitutionis, de quâ nobis sermo est,

(9) Vid. *l.* 3. *Cod.* h. t.

est, effectus tantum ab eo incepisse tempore, quo damnatus fuerat restitutus, neque ad intervallum, quo poenam passus est, pertinuisse; ita ut v. c. fructus, interim percepti ex bonis ejus, ipsi non reddendi fuerint (10). Haec enim bona jure, id est, ex judicis sententia, a fisco occupata erant, et solummodo principis indulgentiae tribuendum erat, quod ea recepisset restitutus. Hujus etiam contrarium non conficere licet ex eo, quod quidem jus patronatus atque patria potestas ex plenissima restitutione redintegrantur; haec enim jura non in alios erant translata, uti bona a fisco occupata, verum tantum in suspenso manserant.

Haec pauca pro nostri instituti ratione sufficiant de hac restitutione in integrum. Ab initio jam observavimus, illam in quibusdam tantum partibus cum restitutione ex lege Gallica convenire. Quod enim ad principium sive causam attinet, utriusque restitutionis praecipua ratio erat misericordia, quae tribuebatur

(10) Vid. *l. ult.* §. *ult. Cod.* h. t.

tur illis, qui sine hoc beneficio ab omnibus civilibus juribus per totam vitam fuissent destituti.

Quod vero ad effectus attinet, ex plenissimâ restitutione omnia quidem jura reviviscebant, uti jura illorum, qui ex jure postliminii revocabantur, ita ut omnia condemnationis incommoda, sive privationes in futurum cessarent. Quod postremum etiam in restitutione ex jure hodierno locum habere, supra probatum putavimus.

At vero praecipua, quaeque plane aliam Romanae restitutioni tribuerit faciem, illa erat differentia, primo, quod saepe ii restituerentur, qui non omnino ad finem usque poenam perpassi fuerint; et secundo loco, quod haec restitutio reverâ magis sola erat gratia, ex merâ benevolentiâ principis orta, quodque nullae tradantur legibus praescriptae regulae, ex quibus sententiam passo jus competeret Summum Imperantem adeundi atque ab eo restitutionem petendi; et tandem, quod nulla exstaret obligatio morum emendationis documenta proferendi, aut eadem magistratuum sive judicum ju-

dicio subjiciendi, quae omnia ex nostrâ lege expresse requiruntur (11).

§. 5.

De aliorum populorum legibus.

Quum mihi propositum esset, de recentiorum populorum legibus paulo accuratius disserere, scriptores legumque Codices mihi comparare studui, ex quibus leges Anglicas (12), Au-

(11) Tractari posset quaestio, an infamia juris, quae vel ex condemnatione criminali ipso jure sequitur, vel judicis sententia diserte pronuntiatur, Jure Romano sit perpetua, an vero illa etiam finitâ poenâ sua sponte cesset? Quaestio sane difficilis ob complures leges haud facile in concordiam redigendas, prouti ex Virorum Doctorum Commentariis, in primis ad *T.* 1. *Dig. de his qui not. infam.* v. c. ECKII, NOODTII SCHULTINGII, VOETII satis abundeque constat. Ut adeo mihi, ut spero, non vitio vertetur, quod totam hanc disceptationem hoc loco praetermiserim; praesertim cum non adeo de infamia ejusque effectu, quam de damnatorum restitutione in integrum sit dissertatio nostra.

Caeterum in ipsis XII. Tabb. legibus (in Tab. IX.) jam refertur lex: NEXO SOLVTO, FORTI SANATI SIREMPS (i. e. par et illaesum) JUS ESTO, ad quam l. vid. J. GOTHOFREDUS.

(12) Vid. *Commentaires sur les loix Angloises de* M. BLACKSTONE, *trad. de l'Anglois par M. D. G***. sur la* [illegible] *Edit. d'Oxfort. Bruxelles* 1776. en 6 vol.

Austriacas (13), Borussicas (14) atque Helveticas (15), cognoscere licuit; sed experiundo didici, hunc locum recte explicare majus quid esse, quam quod a meo certe doctrinae modulo exspectari posset, praesertim quum et haec ipsa dissertatio et studia mea Academica ad finem jam sint perducenda. Sed, cum nullus legislator eorum, quos modo nominavimus, populorum, damnatorum in integrum restitutionem, quod ego quidem sciam, ita in materiâ atque formâ sequendam censuerit, uti in Gallia constitutam vidimus, nullaque adeo comparatio a nobis fieri potuerit, nihil mihi restat, nisi ut diversa diversorum tam philosophorum quam legislatorum principia circa poenarum criminalium infamiaeque ex

(13) Vid. *Das Oesterreichische Criminal-Recht nach seinen Gründen und seinem Geiste dargestellet von* SEBASTIAN JENULL, *Doctor der Rechte, ordent. Prof. der Polit. Wissenschaften, provisorischem des Oesterreichischen Criminal- und Privat-Rechts an dem Liceum zu Grätz* 1808 2 Th. in 8.

(14) Vid. *Allgemeines Gesetzbuch für die Preussischen Staaten. Berlin* 1791. in — 8.

(15) Vid. *Criminalgesezbuch für den Canton Basel* 1821.

ex iisdem sequentis exitum vel abolitionem intacta relinquam.

Illud tamen silentio praetermittere non possum, quod in Codicibus Austriaco (16) atque Etrusco (17) invenerim, regulariter finitâ poenâ infamiam quoque cessare, de eâque materiâ multum in utramque partem disputari posse; cum alii dicant, crimina severe punienda esse, *ne facilius peccetur*; aliis contra videatur, durum, imo nefas esse, eum, qui levius commiserit crimen, at *crimen* tamen, perpetuâ infamiâ, tamquam supplicii sequelâ puniri, nullâque non plane necessariâ poenarum severitate, in republica bene constitutâ, utendum censeant. Sed nos quidem non conabimur tantas componere lites, hoc praesertim tempore et loco; si quidem omnis nostra disputatio eam habuit vim, ut ostenderetur, quâ potissimum ratione lapsis succurri possit, etiam apud eos, qui poenarum infamiam sempiternam in condendâ lege sequendam existimaverint.

CON-

(16) Vid. §. 204. *Op. laud.*
(17) *A Magno Duce* LEOPOLDO *promulgato.*

CONCLUSIO.

Quamquam forte, quoad ejus ab aetate mea et exiguo doctrinae apparatu rerumque usu postulari potuerit, satis de totâ quaestione dixisse videor, brevem tamen conclusionem adjungendam putavi. Nam etsi illius, de quâ potissimum egimus, Legis praestantiam, quantum potui, ex juris principiis in utilitatem publicam probare sum conatus, finem tamen huic disputationi imponere non potui, priusquam dixerim, in primis me optare, ut in novo, qui jam conficitur, Codice hoc etiam saluberrimum clementiae ac misericordiae principium retineatur; praesertim si infamia tamquam perpetua omnium poenarum Criminalium sequela nostri quoque legislatori admittenda videatur; cujus sententiae defensionem, praecipue ratione brevium illarum poenarum, quibus ob leviora quandoque ac minoris momenti crimina afficiuntur malefici, ego certe non ex animo suscipere vellem. Sed haec et talia inge-

tio, doctrinae et longo rerum usu praestantium virorum, qui in legibus condendis cum maxime versantur, et praesertim Optimi Regis judicio ac benevolentiae tutò atque confidenter relinqui posse, nemo est quin mecum facile intelligat. Quidquid autem hac de re statuendum videatur, quando haec damnatorum restitutio in integrum, cujus vim ac momentum demonstrare volui, admittitur, omnino speramus fore ut talis fere in materia atque forma conservetur, qualis jam ex Codice Gallico apud nos locum habet. Quid enim huic modo aut formae addendum vel detrahendum videri posset, me non intelligere profiteor: multae quidem sunt observandae regulae et praescriptiones, sed, ut mihi quidem videtur, salus publica in re tanti momenti ejusmodi cautiones ac provisiones omnino requirit ac postulat. Quod his mihi Ampl. LOUVETII, oratoris Gallici, verbis exprimere liceat: "Vous trouverez qu'il fallait cette lenteur, ces formalités, ces épreuves, cette solennité pour avoir la certitude, qu'il n'y aura que celui la, qui pourra parvenir à obtenir cette faveur de la loi. Et en donnant

" nant votre suffrage à cette mésure vous
" n'aurez point à craindre qu'elle devienne
" jamais abusive."

Habetis jam, juris et aequitatis Fautores! meam omnem de totâ nostrâ quaestione sententiam. Vos autem rogatos esse velim, ut quae nostrae scriptioni desint, suppleatis, siquae bene recteque forte exposita sint benigno animo accipiatis, semperque vobis proponatis, juvenem me discendi potius, quam alios docendi causa ad scribendum accessisse. Quâ benevolentiâ vestrâ nullum sane mihi et impensi laboris et industriae praemium optabilius contingere potuerit.

T A N T U M.

THESES.

I.

Qui sumtus funeris fecit, praefertur reliquis omnibus creditoribus quantumcumque privilegiatis.

II.

Tutor in rebus pupilli non tantum dolum sed et latam et levem culpam praestare debet, non vero levissimam.

III.

Liberi naturales agniti adoptari posse videntur.

IV.

Verba art. 391 *C. C.* " *acte relatif à la*

" *tutelle* " spectant illos actus, qui bonorum administrationem constituunt.

V.

Vera nobis videtur sententia Ampl. *Servan* (*Discours sur l'administration de la justice Criminelle*): " Il est vrai qu'un Citoyen " coupable a réglé par avance la peine de " son crime et le Magistrat qui vient de le " convaincre, peut dire en lui montrant la " loi, je ne suis plus ton Juge, c'est la loi qui " te condamne, ou plutôt c'est toi-même qui " te condamnes par la loi que tu as reconnue."

VI.

Et propterea non adsentiendum videtur iis, qui statuant, numquam esse admittendas poenas capitales.

VII.

Etsi difficillima est doctrina de puniendo delinquendi conatu, non tamen conatus eâdem poe-

poenâ plectendus videtur, quâ plectitur crimen consummatum.

VIII.

Jus Gentium positivum Universale existere nequit.

IX.

Non adsentimur iis, qui subditis contra Summum Imperantem jus resistendi prorsus denegent.

X.

Adsentimur *Montesquievio Grand. et Déc. des Rom.* ch. 8: " Plus d'états ont péris " parce qu'on a violé les moeurs, que parce " qu'on a violé les loix.

XI.

Perversa sententia videtur eorum, qui putent gravium tributorum impositione populi excitari industriam.

XII.

Non improbanda videntur Ampl. *Louvetii*, Oratoris Gallici, verba: " En général il n'est " pas de bonheur sans la pratique de la ver- " tu, on peut dire sur tout que pour l'hom- " me tombé dans l'infortune, c'est le seul " appui qui reste et que le négliger, c'est ce " tout ôter soi même."

AAN MIJNEN

VRIEND EN NEEF

H. V. VAN WESELE SCHOLTEN,

BIJ ZIJNE OPENBARE BEVORDERING TOT DOCTOR IN HET ROMEINSCHE EN HEDENDAAGSCHE REGT.

'T Is schoon, 't is grootsch, voor orde en regt,
Aan post en roeping trouw gehecht,
't Ontzagg'lijk zwaard der wet te voeren;
Opdat der burg'ren heil'ge band,
Die ze allen aan den staat mag snoeren,
Nooit straffeloos zij aangerand.

Maar

Maar ach! dat grootsch, dat edel doel
Kost toch aan 't menschelijk gevoel,
Als 't kwaad doet kennen en doet straffen;
't Bewerkt het leed toch van een deel;
Wat vrucht dat leed ook moet verschaffen
Aan enk'len en aan 't groot geheel.

Neen: schooner is 't, als eens de straf
Die duur betaalde vruchten gaf,
Die vruchten ruimer te doen plukken;
Den zwaren last van schande en smart,
Die, meer gevoeld, ook meer moet drukken,
Te ontnemen aan 't verbeterd hart.

O taak, zoo streelend en zoo zoet,
Die 't heerlijkst werk volbrengen doet
Des Hemels, op deez' nietige aarde;
Als zij geen' boet'ling drukt en treft,
Maar, waar 't berouw verbet'ring baarde,
Gevall'nen uit het stof verheft!

Heil

— o —

Heil U, mijn Vriend, die van uw' tijd
De rijke vruchten hebt gewijd
Om ons dat heerlijk werk te ontvouwen!
Hoe glansrijk opent zich de baan,
Waarop we U juichend thans aanschouwen,
Na zulk een' arbeid ingegaan!

Zoo voegt het hem, die d' ed'len schat,
In deugd en wetenschap vervat,
Met vlijt in Leydens leerschool gaárde;
Voor wien bij 't heilzaamst onderrigt
Zich 's Vaders leer met voorbeeld paarde,
Zoo rijk bedeeld en voorgelicht.

Die zucht, dus in uw hart gekweekt,
Die geest, die uit uw' arbeid spreekt,
Moog' nooit U op uw baan begeven;
Maar blijf geheel uw' levens-tijd
Voor 's naasten hulp en redding leven,
Aan 't heil van volk en land gewijd!

Zoo

Zoo kroon' der Heem'len Opperheer
U steeds met zegen, vreugde en eer,
Bemind bij dankb're burger-scharen;
Wijl huwlijks-heil uw pad bestrooit
Met rozen, die Gij haast moogt gåren,
Waarmeê zich 't blij verschiet reeds tooit!

O moog' die zucht voor schoon en goed,
Door de eigen handen eens gevoed
In mij, die de eigen hulp mogt smaken,
Ons trouw verëenen tot aan 't graf,
En de eeuwigheid eens 't heil volmaken,
Dat reine vriendschap ons op aard te smaken gaf!

H. M. VOCKESTAERT.

CORRIGENDA ET ADDENDA.

Pag.				
11.	not. 9	de langue	*lege*	de la langue
24.	linea ult.	lucem vidit	*adde*	in Belgio
25.	not. 5	juisc.	*lege*	jurisc.
28.	lin. 12	doctioribus	—	doctoribus
80.	— 5	accuratius	—	uberius.
81.	— 2	EFFECTUS.	—	RESTITUTIONIS EFFECTUS.
110.	— 5	rapto	—	rupto
116.	— 15	censeant (delendum)		
119.	— 2	deviennet	—	devienne.